AUTHOR:

R_EBELLIAU, ALFRED

TITLE:

VERGILIO IN INFORMANDIS ...

PLACE:

PARISIIS

DATE:

1892

Master Negative #

91-80350-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books         FUL/BIB   NYCG91-B91247          Acquisitions      NYCG-AE
IN PN REBELLIAU, ALFRED AND TW DE VERGILIO - Cluster 1 of 1 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B91247    RTYP:a    ST:p     FRN:      MS:       EL:        AD:10-23-91
  CC:9114  BLT:am      DCF:     CSC:d    MOD:     SNR:      ATC:       UD:10-23-91
  CP:nyu     L:lat    INT:      GPC:     BIO:d    FIC:0     CON:
  PC:r      PD:1991/1892        REP:     CPI:0    FSI:0     ILC:       MEI:1   II:1
  MMD:      OR:     POL:     DM:     RR:          COL:      EML:       GEN:   BSE:
  040       NNC‡cNNC
  100 10    R_ebelliau, Alfred.
  245 00    De Vergilio in informandis muliebribus quae sunt in Aeneide personis‡h
        [microform], ‡cinventore facultati litterarum Parisiensi thesim proponeb
        at Alfred R_ebelliau.
  260 0     Parisiis,‡bapud Hachette et Socios, bibliopolas,‡c1892.
  300       viii, 159 p.‡c23 cm.
  600 00    Virgil.‡tAeneis.
  LDG       RLIN
  QD        10-23-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12-3-91 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE VERGILIO

IN INFORMANDIS MULIEBRIBUS QUAE SUNT IN AENEIDE PERSONIS

INVENTORE

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT

ALFRED RÉBELLIAU

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS
GALLICIS ET GRAECIS QUAE DICUNTUR COLLOQUIIS
IN FACULTATE LITTERARUM RHEDONENSI PRAEPOSITUS

PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1892

DE VERGILIO

IN INFORMANDIS MULIEBRIBUS QUAE SUNT IN AENEIDE PERSONIS

INVENTORE

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT

ALFRED RÉBELLIAU

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS
GALLICIS ET GRAECIS QUAE DICUNTUR COLLOQUIIS
IN FACULTATE LITTERARUM RHEDONENSI PRAEPOSITUS

PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1892

DOCTISSIMO VIRO

GASTON BOISSIER

IN GALLICO COLLEGIO ET NORMALI SCHOLA LATINARUM LITTERARUM PROFESSORI

ACADEMIAE GALLICAE ET ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIO

GRATI ANIMI TESTIMONIUM DICABAT

DISCIPULUS

ALFRED RÉBELLIAU.

RECENTIORUM AUCTORUM

IN HOC OPUSCULO CONFICIENDO ADHIBITORUM

INDEX

AHRENS (E. A. I.), Aeschyli et Sophoclis tragoediae et fragmenta, Parisiis, 1846.

BENOIST (E.), *Œuvres de Virgile, avec un commentaire critique et explicatif, Paris,* 1867-1872.

— et THOMAS, *Commentaire critique et explicatif des Poésies de Catulle, traduites par* ROSTAND, *Paris,* 1879-1882.

BERGK, *Griechische Literaturgeschichte, Berlin,* 1872-1887.

BOISSIER (G.), *La Religion romaine d'Auguste aux Antonins, Paris,* 1878.

— *Nouvelles promenades archéologiques : Horace et Virgile, Paris,* 1886.

BOUGOT (E.), De morum indole in Virgilii Aeneide : an Virgilius in Aeneide mores heroicos fideliter expresserit? Parisiis, 1876.

CATHOU (le P.), *L'Énéide de Virgile traduite, Paris,* 1716.

CAUER (P.), *Zur Verständnis der nachahmenden Kunst des Vergil, Kiel,* 1885.

CHRIST (W.), *Geschichte der griechischen Literatur, Nördlingen,* 1889.

CONINGTON et NETTLESHIP, Vergilii opera *with commentary, second and third edition, London,* 1873-1876.

— *Fourth edition,* 1881-1883.

COUAT (V.), *Étude sur Catulle, Paris,* 1875.

— *La Poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolémées, Paris,* 1882.

COURDAVEAUX (V.), *Étude sur les Femmes de Virgile, dans : « Eschyle, Xénophon, Virgile, » Paris,* 1872.

CROISET (A. et M.), *Histoire de la Littérature grecque, t. I et II, Paris,* 1887-1890.

DUNLOP (J.), *History of roman Literature during the Augustan Age, t. III, London,* 1828.

EICHHOFF (F. W.), *Études grecques sur Virgile, Paris,* 1825.

ELLIS (R.), *A Commentary on Catullus, second edition, Oxford,* 1889.

FORBIGER, P. Vergilii Maronis opera, Lipsiae, 1872-1875.

GALBO, De personarum in Virgilii Aeneide natura et moribus, Panormi, 1891.

GIRARD (J.), *Études sur la poésie grecque, Paris,* 1884.

GÜTHLING, *Vergils Werke, Leipzig,* 1886.

HENRY (J.), *Aeneidea or critical, exegetical and aesthetical remarks on the Aeneis with a personal collation of all the first classical Mss., Dublin,* 1878 sqq.

HEYNE, Virgilii opera, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata, ed. quarta, curante G. PH. EB. WAGNER, Lipsiae, 1830-1841.

HILD, *La Légende d'Énée avant Virgile, dans la* REVUE DE L'HISTOIRE DES RELIGIONS, *t. VI, Paris,* 1882.

HOLDSWORTH (E.), *Remarks and dissertations on Virgil, published with notes and remarks by* SPENCE, *London,* 1768.

KAPPES, *Vergils Aeneis, Leipzig,* 1877-1880.

KAYSER (W. C.), Historia critica tragicorum graecorum, Goettingae, 1845.

KENNEDY, Vergilii opera, *London,* 1879.

KINDERMANN (C. H.), Quaestiones de fabulis a Vergilio in Aeneide tractatis, Lugduni Batavorum, 1885.

KONSTAS (G. CHADZI), *Iliupersis nach Stesichoros, Leipzig,* 1876.

KRUEGER (P. H. L.), Vergilii Aeneis quibus in rebus judicanda sit secuta esse exempla veterum poetarum latinorum, Ennii, Lucretii, aliorum, Jenae, 1874.

KÜSCHEL, *Ueber die Quellen von Virgils Aeneis, Breslau*, 1858.

KVIČALA (J.), *Vergil-Studien nebst einer collation der Prager-Handschrift, Prag*, 1878.

— *Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis nebst mehreren Excursen und Abhandlungen, Prag*, 1881.

LADEWIG, *Aeneis, neunte Auflage von* K. SCHAPER, *Berlin*, 1881.

LERSCH (L.), Antiquitates vergilianae ad vitam populi romani descriptae, Bonnae, 1843.

MARTHA (C.), *La délicatesse dans l'art, Paris*, 1884.

MUELLER (L.), *Quintus Ennius, St. Petersburg*, 1884.

NETTLESHIP (H.), *Ancient lives of Vergil with an Essay on the poems of Vergil in connection with his life and times, Oxford*, 1879.

— Cf. CONINGTON.

OTTEMA, Virgilii Camilla (SYMBOLAE LITTERARIAE, t. VII), Trajecti ad Rhenum, 1845.

PAPILLON, Vergilii opera, *London*, 1880.

PATIN, *Études sur les Tragiques grecs, Paris*, 1858.

— *Études sur la Poésie latine, Paris*, 1883.

PEERLKAMP (P. HOFMAN), Vergilii opera, Leidae, 1843.

PLUESS, *Vergil und die epische Kunst, Leipzig*, 1884.

PRELLER et JORDAN, *Römische Mythologie, dritte Auflage, Berlin*, 1881-1883.

RIBBECK (O.), Vergilii opera cum prolegomenis et apparatu critico, Lipsiae, 1859-1868.

— *Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik, Leipzig*, 1875.

— *Geschichte der römischen Dichtung, Stuttgart*, 1889.

RICHTER (P.), De Vergilio imitatore poetarum graecorum, Halis Saxonum, 1870.

RÖSCHER (W.), *Ausführliches Lexicon der griechischen und römischen Mythologie, Leipzig*, 1884 sqq.

SABBADINI (R.), *Studi critici sulla Eneide, Lonigo*, 1889.

SAINTE-BEUVE, *Étude sur Virgile suivie d'une étude sur Quintus de Smyrne, Paris*, 1857.

— *De la Médée d'Apollonius, dans les « Portraits contemporains »*, t. V, 1882.

SCHEBEN, De poetis Aeneae fugam atque fata ante Vergilium describentibus, Münstereifel, 1828.

SEELIGER, *Die Ueberlieferung der griechischen Heldensage bei Stesichoros*, I, *Meissen*, 1886.

SELLAR (W. Y.), *The Roman Poets of the Augustan Age : Virgil. Oxford*, 1877.

SPENCE, cf. HOLDSWORTH.

TEUFFEL (W.), *Geschichte der römischen Literatur, dritte Auflage, Leipzig*, 1875.

— *Trad. fr. par* BONNARD et PIERSON, *Paris*, 1878-1883.

— *Geschichte der römischen Literatur, fünfte Auflage, neu bearbeitet von* L. SCHWABE, *Leipzig*, 1890.

THILO et HAGEN, Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii, Lipsiae, 1878-1884.

THOMAS, *Essai sur Servius et son commentaire sur l'Énéide, Paris*, 1879.

— Cf. BENOIST et ROSTAND.

TISSOT, *Études sur Virgile comparé avec tous les poètes épiques et dramatiques anciens et modernes, Paris*, 1825-1830.

WAGNER (Fr. G.). Fragmenta Euripidis et perditorum tragicorum omnium, Parisiis, 1846.

— (G. PH. EB.), Cf. HEYNE.

WEIDNER, *Commentar zu Virgil Aeneis, Buch I und II, Leipzig*, 1869.

WELCKER, *Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyklus geordnet, Bonn*, 1839-1841.

— *Der epische Cyklus oder die homerischen Dichter, Bonn*, 1849-1865.

INDEX RERUM

PROOEMIUM

PARS PRIOR

De muliebrium Aeneidis personarum, in quibus effingendis multum sine dubio adjutus fuit Vergilius, indole. Quid et quantum aliunde traditis de suo addiderit.

PARS POSTERIOR

De muliebrium Aeneidis personarum, in quibus effingendis minimum adjutus fuit Vergilius, indole; qua tamen inveniendi copia descripta fuerit.

PROOEMIUM

Recentiorum philologorum accuratis de Aeneide studiis Vergilii laudem, quod quidem attinet ad inveniendi copiam, multum imminutam fuisse.

Aeneidem septuagesimum fere jam annum[1] multi pertractavere philologi, quorum quidem opera nemo non fateatur auctam fuisse vergiliani poematis cognitionem. An vero simul aucta sit ex illa diligentia ipsa Virgilii gloria, in controversiam vocari potest. Decrescere contra latinus poeta, et ex eo primario loco, quem proximus Homero usque ad septimum p. C. n. saeculum tenuerat, si non palam detrudi, submoveri tamen continuo quodam impulsu et quasi repetitis ictibus mihi videtur.

Cum enim sub antiqui aevi finem Ambrosius Theodosius Macrobius recenseret[2] quam constanti sedulitate Maro res vetustas perscrutatus fuisset, quam gnarum se divini humanique juris priscaeque religionis, et omnium disciplinarum peritum praestitisset, quam doctus fuisset et sollers in « libandis » veterum poetarum floribus, inde devotissimus ille Vergilio grammaticus argumenta demum eruebat nova quo majore admiratione poetam suum amplecteretur. Optimum enim, ut opinor, poetam esse judicabat eum, qui se stupentibus lectoribus quam

1. Circa annum 1820 scholasticis et compendiariis editionibus ubique vulgantur recentes tum Chr. Gottl. Heynii curae, aliaque multa commentaria nova simul prodeunt. Cf. Engelmann et Preuss, *Bibliotheca scriptorum classicorum, zweite Abtheilung*, p. 695 sqq., ubi plus centum et quadraginta sive universorum Vergilii operum, seu Aeneidis solius, ab anno 1808 ad annum 1880 editiones enumerantur.

2. *Conviviorum primi diei saturnaliorum libri septem*, ed. Fr. Eyssenhardt, 1868; cf. imprimis l. I, cap. III-XXVI; l. III, cap. IX-X; l. V, cap. II-XVIII; l. VI, cap. I.

plurimum instructum praeberet et affluentem illis sententiarum aut orationis « luminibus, » quae in poetarum inventis semper et unanimo consensu hominibus mirabilia visa essent. Unde fiebat ut non solum licitum poetis, sed etiam praeceptum existimaret, excerpere et surripere quaecumque in veterum operibus niterent, atque ita « in usum suum opportuna derivatione convertere » ne quidquam periret ex iis quae pulchra bonaque priores invenissent[1].

Nec multo secus ac Macrobius fere universa antiquitas, ni fallor, perfecti poetae imaginem animo concepit.

Longe autem aliter videtur recentiorum temporum et maxime praesentis aetatis nostrae hominibus. Quippe qui non tam desiderent eadem sibi perpetuo vel pulcherrima reponi, quam afferri nova et inaudita. Pluris nobis aestimantur etiam pauca, quae de suo, genuina nimirum et peculiaria, poeta quidam extulerit, quam multa quae aliunde adscita arcessiverit ornamenta. Quanquam vulgo dicitur poetis dari licentiam « suum undecumque sumendi », tamen multo potius nobis videtur si suum de se ipso unusquisque hauriat. Cujus vero virtutis non aeque atque nos curiosos fuisse veteres ipsa verborum inopia declarat quibus eam eloquamur.

Postquam igitur saeculi nostri philologi, in illa indagandae Aeneidis ratione multo ulterius Macrobio progressi[2], nos primum docent poema illud non quod voluerit, impellente genio, poeta, sed quod jussus sit[3], inceptum

1. « Quod si haec societas et rerum communio poetis scriptoribusque omnibus inter se exercenda concessa est, quis fraudi Vergilio vertat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit? Cui etiam gratia hoc nomine habenda est quod nonnulla ab illis in opus suum, quod aeterno mansurum est, transferendo fecit ne omnino memoria veterum deleretur, quos, sicut praesens sensus ostendit, non solum neglectui verum etiam risui habere jam coepimus. » L. VI, cap. I.

2. Cf. recentiorum commentatorum et historicorum indicem huic opusculo praepositum.

3. Nonnulli enim asserunt, sicut memorat CONINGTON (*Introd.*, t. II, p. XIX), inceptam esse a Vergilio Aeneidem « *at the command of a superior.* » Ita enim FORBIGER (*in Dissertatione de P. Vergilii vita et carminibus* tertio editionis suae volumini praefixa, p. XXXV) : « Ad hoc carmen pangendum alieno potius im-

fuisse; Vergilium deinde carmen suum cum historica quadam cura, non cum poetica libertate, elaborasse; veritatem rerum praeteritarum adsidua diligentia et plane eruditorum ritu vel in minimis persecutum fuisse; monumenta vetustatis undique eruisse, quibus collectis artificiosum opus conflaret; — non equidem possum non vereri ne hinc « occasio reprehendendi » (ut Macrobianis verbis utar)[1] « vel imperitis vel malignis ministrata » fuerit. Num adhuc vel nobis ipsis, — candidis, spero, judicibus, — Vergilius idem ille ante oculos versatur, quem proavi nostri venerati sunt, tanquam innato et quasi mystico instinctu, tametsi perpolita aetate degeret, impulsum, nulloque profluentes labore cantus effundentem? Nonne Vergilii imago nobis a majoribus tradita paulatim in animis nostris commutatur et adulteratur, simul

pulsu quam sua voluntate et animi inclinatione videtur motus esse. » Cf. TEUFFEL-SCHWABE, p. 484 : « *Aber weich und nachgiebig wie er war und ohne der sicheren Takt des Genies nach Stoffen tastend, lässt er sich auch von aussem auf Vorwürfe führen denen seine Begabung nicht recht entsprach.* » Nimis affirmative dictum, sicuti recte admonet NETTLESHIP (CONINGTON, *Introd.*, *ibid.*). SERVIUS enim, in commentarii prooemio (ed. THILO et HAGEN, t. I, p. 2) *propositam* a Caesare Vergilio Aeneidem tantummodo dicit, neque amplius e SUETONII *Vita Vergilii* (n° 21, ed. NETTLESHIP) conjici potest. Praetenditur quoque tanquam argumentum Vergilii ad Augustum epistola : « Tantum inchoata res, ut paene *vitio mentis tantum* opus ingressus mihi videar... » Quam autem epistolam RIBBECK spuriam putat, quia Aeneidem tunc temporis (quando scilicet apud Cantabros Augustus versabatur) vix inchoatam parum verisimile est. Sed etsi fides addubitatae isti epistolae sit adhibenda, non ad verbum ea interpretari debeamus quae de se Vergilius scripserit. Quippe qua fuerit in excudendis operibus suis sedulitate, ea minus libenter alienis oculis exhibuisse existimo, donec iis qualitercumque contentus esset. Nec aliter, — siquidem verum est Vergilium optavisse, imo imperasse ut amici « si quid sibi accidisset Aeneida comburerent » (SUETON., in vita Vergilii, n° 39), votum illud aut mandatum intellegendum est. Optimo enim cuique in omnibus liberalibus artibus animus aliquando solet infrangi, illudque praesertim ubi confectum opus cum illa perfecta pulchritudinis specie poeta, quam animo concepit, comparat; eoque magis labat bonus artifex quo majora cupit altioraque spectat. Neque tamen nimium querelarum istarum et sollicitudinum, quae quidem saepe haud multo post dilabantur, rationem habere par est. Sapit in hoc quoque CONINGTON : « *Rightly understood, that story seems to contain not a confession that he had mistaken his powers, but simply one more instance of the fastidious and exacting nature of his self-criticism.* » — Cf. G. BOISSIER, *La Religion romaine*, t. I, p. 225-229.

1. *Saturn.*, l. VI, c. I. Apud Macrobium Evangelus Vergilium inscitiae potius quam nimiae imitationis insimulat. Non vero defuere inter Vergilii aequales qui eum furti accusarent; de quo vide RIBBECK, *Prolegomena*, p. 99; vel *Gesch. d. röm. Dichtung*, t. II, p. 53-58.

ac doctior ipse, ejusque poema eruditione redundantius demonstratur? Periit, credo, aut jamjam peritura est illa, Scaligero tantum celebrata, « Vergiliana divinitas[1] », — inque locum eversi dilapsique Dei, nescio quis succedit diligentiae pertinacis, beatae memoriae callidaeque artis homo[2], qui, excussis recens a chartis, operosa carmina ita confingebat, ut ad hexametrorum formam redigeret ea quae multo sudore didicisset, non ea quae afflatus vere poetico spiritu invenisset.

Haec est causa cur mens mihi fuerit inquirere an revera tantum labefactata et ex ea quasi probatione imminuta evaserit illa Vergilii, — (quam pace asperiorum latini sermonis aestimatorum appellaverim) — *vis inventrix*. Quod autem liquere poterit, si ea ratio diligenter fuerit perpensa qua Vergilius utatur in effingenda indole nonnullarum personarum quas in poema suum induxerit.

1. Cf. Sainte-Beuve, *Étude sur Virgile*, p. 320 et 338.

2. Cf. Benoist, *Œuvres de Virgile*, 2e éd., p. cxv) : « *Virgile possédait à fond le double trésor des antiquités grecques et latines. Dans son œuvre, il a mis à contribution, avec l'Iliade et l'Odyssée, les poètes cycliques, Stasinus, l'auteur des Chants cypriens, Arctinus, qui a écrit l'Ethiopide et la Prise d'Ilion, Agias de Trézène auquel on doit les Retours, enfin Leschès et sa Petite Iliade. Il a emprunté des renseignements, des détails, des épisodes entiers, aux grands tragiques grecs, aux lyriques, aux épiques alexandrins. On a pu constater qu'il a puisé à des sources au moins aussi abondantes et aussi savantes que l'érudit Denys d'Halicarnasse. Souvent on retrouve chez lui la trace des traditions recueillies par Caton, par Varron, par les historiens et les antiquaires de Rome, embellies et transformées par les anciens poètes de la République, les Névius, les Ennius et leurs émules. Selon Niebuhr, il a montré une science dont un historien se fût trouvé presque surchargé, et dans l'Énéide, un historien trouvera sans cesse à admirer et à défrayer des études prolongées, etc.* » — Hild, *La Légende d'Énée* (Revue de l'Hist. des Religions, t. VI, p. 311-312) : « ... *Toutes les traditions anciennes que nous avons examinées, Virgile les a fondues harmonieusement dans un poème où la pauvreté de la matière fait estimer davantage le mérite incomparable de l'ouvrier... Naevius, Ennius, Caton, Varron, tous les annalistes de l'âge précédent, tous les poètes ont été mis à contribution pour la composition de l'Énéide, et cela avec un goût judicieux, une science profonde, un souci constant de la couleur historique... Aux renseignements fournis par les archéologues de profession s'ajoutent les données de la chronique locale. Virgile a pénétré les secrets des plus vénérables sanctuaires, dépouillé les archives du Pontificat, scruté les livres sybillins, consulté les documents sacrés sur la fondation des villes, plongé avec le regard du poète et celui de l'antiquaire dans les ténèbres qui enveloppent les migrations primitives des peuples, l'origine des grandes familles, les transformations sociales et l'élaboration des croyances religieuses.* »

Namque epici poematis partes quaedam sunt in quibus poetae facile ignoscas quod ornamenta aliqua ex alienis hortis vel abundanter excerpserit. Nempe quid refert Vergilium Homeri vestigiis propius institisse praelia describentem, vel Apollonium secutum esse quando deam aliquam induxit se mortalium oculis offerentem, vel nonnulla assumpsisse ab uno aut altero e graecis latinisve scriptoribus quotiens seu longinquos terrarum tractus depingit, quos ipse non viderit[1], sive etiam procellam cui adfuisse non liceat omnibus? Ea sunt « furta » quae quotiens objecta irridere merito potuerit Vergilius[2]. Quippe quae, hujuscemodi quotquot sunt, « proprie dicere » difficilius quam utilius opinor. Et esse censeo epici poematis communem omnibus et aeternum quasi thesaurum, a prioribus posterioribus ad libere fruendum traditum.

Sed longe secus est de indole adhibitarum personarum effingenda : in quo multo minor aliena sumendi licentia poetae conceditur, multo major nova afferendi necessitas incumbit. Si quis enim germano poetarum ingenio praeditus est, se non substituere in locum eorum non potest quos agentes loquentesve faciat, adeo ut quaecumque sentiant, tam vivide et ipse sentiat quam si de se agatur ; quaeque acturi sint aut dicturi, secum prius et attente meditatus fuerit. Neque aliud esse reipsa poesim, — etiamsi id inter nostros aequales nonnulli infitiantur, — existimo, quam promptam illam ac vividam animi vel fictis rebus affecti mollitiem, facilemque ingenii, alienas subito personas induentis et arripientis, transformationem.

Non autem defuere[3] nec desunt, ac praesertim inter

1. Quid a Theocrito hauserit Vergilius in describendis ruris amoenitatibus ostendit Gebauer, *Quatenus in epithetis Vergilius imitatus sit Theocritum*, 1863.

2. Suetonius, *Vita*, n° 46.

3. Niebuhr, *Hist. rom., trad. fr.* de Golbéry, t. I, p. 276 : « *Nous n'éprouvons que trop désagréablement combien peu le poète a réussi à faire de ces ombres, de ces noms, auxquels il lui fallait donner un caractère, des êtres animés comme les héros d'Homère...* [*Son génie*] *était pauvre en créations.* »
Preller, *Röm. Mythologie*, 3te *Aufg.*, B. II, p. 318-319 : « *Virgils Aeneide,*

doctissimos Germanorum philologos, qui Vergilio pretiosam hanc et plurimi aestimandam facultatem denegarent ac denegent, personarumque in Aeneide descriptionem vitiosam et enervem contendant; vix enim paucissimas per-

bei welchem Gedichte man nicht weiss man mehr bewundern soll, die Kunst der Dichtung und der Sprache, den patriotische Ernst des Studiums, die seelenvolle Empfindung so mancher tiefergreifenden Schilderung, oder die angeborne Armuth und Dürftigkeit des Stoffs in allen Punkten wo der Dichter die Hand seiner griechischen Führer verlösst und die Vorzeit von Italien und Latium durch ihre eignen Erinnerungen zu beleben sucht. » Cf ibid., t. I, p. 38-39.

BAEHR, *Geschichte d. röm. Literatur* (4te *Auflage*, 1868), t. I, p. 369 : «... *Auch wenn wir... Unbefangenheit und Natur in Einzelnen, zumal in dem ganzen Gang der Handlung und in der Darstellung der Charaktere, in der Haltung der Personen u. dgl. vermissen.* »

BOECKH, *Encyclopädie und Methodologie der philol. Wissenschaften, her. v.* E. BRATUSCHECK, 1877, p. 684 : «... *Alles ist mühsame.* »

BERNHARDY, *Grundriss d. röm. Literatur* (5te *Bearbeitung*, 1872), p. 489 : «... *Wir wollen darum nicht geringer schätzen, weil er nirgend mit schöpferischem Geiste dichtet und einen mässigen Schwung der Phantasie beweist.* » P. 497 : « *Aus allem erhellt das Virgil kein plastiches und dramatisches Talent, noch weniger die Kraft des objektiven Dichters besass.* »

WEIDNER ap. BENOIST (*Introd. à l'Énéide*) : « *Ce qui rend moins vivants les personnages de l'Énéide, c'est qu'ils sont moins des portraits conçus par le génie du poète que des êtres en quelque sorte allégoriques ou symboliques dont les traits sont conçus par l'effort de l'esprit plutôt que vus par les yeux de l'imagination.* »

LUCIAN MUELLER, *Ennius*, p. 260-261 : « *Meisterhaft ist bei Ennius die Charakteristik der handelnd oder redend eingeführten Personen. Er übertrifft in dieser Hinsicht Vergil sehr bedeutend... Vergil in der Schilderung seiner Helden nur da glücklich* [*ist*], *wo er entweder reinmenschlische Verhältnisse, die zu alten Zeiten dieselben sein können, wie Z. B. die Liebe der Dido, darstellt, oder wo die wenigen charakteristischen Eigenschaften, welche die Sage fest ueberliefert hatte, ihm einen sichern Anhalt gewährten.* »

TEUFFEL (*dritte Auflage*, 1875, p. 458) : « *Am besten gelingen ihm in allen Dichtgattungen solche Gegenstände welche gemütliche Wärme erregen oder zulassen, wie die leblose Natur, das Heimatland, die Familie und die Liebe. Aber er ist zu weich und zu wenig genial als dass er auf dem seiner Natur zusagendsten Gebiete hätte beharren und dar auf Ruhm ernten Können. Er lässt sich von aussen auf Stoffe führen für die er nicht geboren war.* » — TEUFFEL-SCHWABE (*fünfte Auflage*, 1890, p. 484) : «... *Aber weich und nachgiebig wie er war und ohne den sicheren Takt des Genies nach Stoffen tastend, lässt er sich auch von aussen auf Vorwürfe führen denen seine Begabung nichtrecht entsprach* (Non minus severum est recens judicium priore; sed paulo leniora verba); *er sammelt für diese mit dem Fleisse des Gelehrten und feilt an der Form mit der Unverdrossenheit eines Künstlers ; aber die gewissenhafteste Arbeit ersetzt nicht den Mangel an Schöpferkraft und Erfindungsgabe, an ursprünglicher Frische, Anschaulichkeit und Lebendigkeit.* »

TEUFFEL-SCHWABE (*ibid.*, p. 491-492) : « *Ueberhaupt wer Virgil an seinem unerreichten und unerreichbaren Vorbilde, an Homer misst wird Schöpferkraft und Erfindungsgabe, quellende Frische, Natürlichkeit, Anschaulichkeit und Lebendigkeit schmerzlich entbehren... Die Personen sind in*

sonas (Aeneam scilicet Turnumque inter viros, inter feminas Didonem et Andromacham) copiosius ac vividius descriptas, sed eas esse in quibus componendis magnopere adjutus sit a Graecis Vergilius. Reliquas vero fere omnes, tum viriles cum muliebres personas, tam male ab eo fuisse depictas, ut « pallentibus umbris » comparandae sint quas in Infernorum spatiis subobscuras deerrare ipse finxerit; nihil in iis definitum, nihil vivum; at vero exsanguem colorem, incertam nebulosamque formam[1].

ihrem Tun nicht scharf und treffend gezeichnet und von einander gesondert... » Agnoscitur tamen a critico « *die Darstellung seelischer Zustände, worin der mehr rhetorisch-lyrisch veranlagte Dichter besondere Feinheit und tiefes Verständnis bekundet.* »

HERTZBERG, *Geschichte d. röm. Kaiserzeit*, t. I, I, p. 465 (ap. PLUESS, *Vergil u. d. epische Kunst*, p. 1-2) : « ... *Aber eines hat er nicht besessen, den schöpferischen Genius, der richtig greift in der Wahl des Stoffes und der mit Leichtigkeit und doch mustergiltig seinen Stoff anordnet und behandlet; wie der Stoff ein Misgriff war, so hat der Dichter auch nirgends die Wärme des Herzens demselben gegenüber empfunden ; alles ist Reflexion und zwar kühle, nüchterne Reflexion ; wohl kommen schöne Bilder, treffende Gleichnisse vor, aber sie sind sentimental und studiert.* »

Cf. inter Britannos, DUNLOP, *Hist. of roman Literatur*, t. III, p. 157-158 ; LONSDALE and LEE, *Introduction to the English prose-translation of Virgil* (1871) : « Scarcely any characters in [the Aeneid] are happily drawn... »; W. Y. SELLAR (*art.* VIRGIL *in* ENCYCLOPAEDIA BRITANNICA) : « *Among the personages of the Aeneid the only one which entitles Virgil to rank among the great creators is Dido... She is the sole creation which Roman poetry has added to the great gallery of men and women filled by the imaginative art of different times and peoples. There are outlines of a great creation in Mezentius; but Dido alone is a life-like and completed picture.* » Cf. ID., *The Roman poets of Augustan age, Virgil*, p. 69; aliaque non pauca opinionis ejusdem testimonia apud FORBIGER, in *Dissertatione* editioni ipsius addita, t. III, p. XXXVI, n. 120, et PAPILLON, in INTROD. ipsius editionis, p. XXV. Citantur ab alterutro HEGEL, RICHTER, COLERIDGE, « *who asked what was left of Virgil if diction and metre were removed,* » CARLYLE, KEBLE, MARKLAND, BODMER, etc.

1. Vide superius allata germanorum britannorumque philologorum judicia. Cf. E. BENOIST (*Introd. de l'édit. de Virgile*), p. CXVIII : « *Il est vrai que l'invention dans les caractères est médiocre chez Virgile...* » Neque aliis in personis nova excogitasse Vergilium doctissimus inter Gallos vir concedit, nisi in *Didone, Andromacha* et *Camilla*. — Ceterum nobis obiter animadvertere licet, jam apud nos etiam imminutam fuisse in octavo decimo saeculo Vergilii admirationem. De quo vide LA HARPE, *Cours de Littérature*, l. I, ch. IV, sect. 2. « *Pour l'invention*, les caractères *et le plan, l'imitateur d'Homère est resté bien au-dessous de lui... Ce qui fait au total le caractère de Virgile, c'est la perfection continue du style* »; — VOLTAIRE, *Essai sur le Poème épique* (1733), imprimisque *Candide* (1759), ch. XXV, ubi carpitur Vergilius quod personas non satis vivas confinxerit, exempli gratia « *la bourgeoise Amata, l'insipide Lavinia ;* » — CHATEAUBRIAND, *Génie du Christianisme*, part. II, l. II, sect. X ; etc.

Excussurus autem ego et qua potero subtilitate determinaturus quid ab alienis fontibus Vergilius extraxerit, quid de suo praebuerit, muliebres tantummodo personas scrutari satis habebo. Quarum autem eas primum inspiciendas esse censeo quibus in delineandis multa magnaque subsidia, et illa quidem praeclare nobis cognita, ei praesto fuerint.

PARS PRIOR

De muliebrium Aeneidis personarum, in quibus effingendis multum sine dubio adjutus fuit Vergilius, indole. Quid et quantum aliunde traditis de suo addiderit.

CAPUT PRIMUM

QUOD DE ANDROMACHA ET DIDONE OMNIA EXEMPLARIA VEL POETICA VEL HISTORICA NOBIS PRAESTO SINT, QUIBUSCUNQUE USUM ESSE VERGILIUM VERISIMILE SIT

Eas autem personas in quibus describendis multum sine dubio adjutus fuit Vergilius — (Andromacham dico et Didonem) — primas exploraturus, ut quae de suo latinus poeta aliunde acceptis addiderit expediam, illud mihi ante omnia demonstrari decet, cognita scilicet esse nobis omnia antiquitatis monumenta ex quibus Aeneidis auctor utilem percipere fructum potuerit.

I

DE ANDROMACHA

Ipsa enim de vergiliana Andromacha fieri quoque posse istiusmodi comparationem sentio, quanquam non

universas in manibus habemus aut epicas, aut tragicas, aut lyricas, sive graecae seu latinae antiquitatis Andromachas.

Namque illud considerandum est, in tertii Aeneidis libri locis ubi Hectoris uxor in poema adsciscitur, hoc demum agi, quas nempe illa fortunae vices, in servitutem post interfectum Astyanactem abrepta, subierit, quoque animo toleraverit.

Cyclicos autem qui dicuntur poetas si primum respexeris, illos esse profecto fateor qui principio invenerint aut prius inventa collegerint ea quae captivae Neoptolemi Andromachae accidisse apud veteres fama fuerit. Verum ea a poetis illis ita exposita fuisse non existimo ut in lucem insigniter proferretur Andromachae indoles.

Primo enim nullum unquam fuisse de solis Andromachae casibus poema traditum est. Nec mirum, cum, Hectore et Astyanacte mortuis, multum de Andromacha detraheretur. Scilicet totam in hoc esse nobilem illam mulierem, qualem Homerus effinxerat, videbatur, ut defensorem suum filiique amaret, filiumque deinde ipsa amatissimum defenderet. Viduae autem conjugis et orbatae matris vita subsequens, et servitium, et secundae ac tertiae nuptiae, nihil nisi frigidam et siccam poetae materiam suppeditassent, periculosiusque ille aggressus esset inceptum, qui trojanae unius mulierculae aerumnis Graecos lectores allicere et detinere destinasset, eo praesertim tempore, quo nondum longo litterarum usu et philosophia excultos, neque adhuc saepius auditis gentilium heroum facinoribus satiatos, Graecos Graeca maxime et bellica tangebant. Primum omnium fuisse Euripidem facile crediderim, cui, — utpote « humani nihil » a tragoedia alienum putanti, nova ceteroqui consectanti, — domestica illa et umbratilis et quasi gynecaei tragoedia placuerit, quae in Andromachae cum Hermiona contentione versatur.

Adde quod ii ipsi inter graecos epicorum carminum scriptores qui, — sive in quibusdam de exscidio Trojae

poematibus [1], sive in Νόστοις qui appellantur [2], — Andromacham a Neoptolemo in Epirum abductam ex eo filios (vel filium) peperisse, ac postea Trojano Heleno conjugem cessisse obiter narraverant, nihil profecto aliud quam meram illarum rerum seriem summatim et quasi epitomae instar exposuerant [3]. Illud enim poetarum istorum peculiare fuisse constat, quod historica potius fide et putida diligentia versibus suis universa comprehendere cuperent, quam pauca libere decerpere quae scite adornarent. Quascumque igitur in heroicis fabulis obvias personas religiose enumerantibus, idem, opinor, accidere solebat quod ipsi Hesiodo, cujus poematum « magna

1. In Arctini *Aethiopide* aut ejusdem (vel Leschis) *Ilio capto* et *Parva Iliade*. Arctinum potius Vergilius secutus videtur (Nettleship, *Suggestions introductory to a study of the Aeneid.*)

Quod si Welcker (*der Epische Cyklus*, II, p. 245 et passim), Nitzch (p. 256, 261-263), M. Croiset (*Hist. de la Litt. gr.*, I, p. 438) credendi sint, Ulyxes, Philoctetes et Neoptolemus praecipuas partes apud Arctinum et Leschem agebant. Negat vero Weil (*Revue de Philologie*, 1887, p. 1-5), qui scribit ita : « *Welcker s'aventurait beaucoup en assurant que le héros... de la* Πέρσις *d'Arctinos* [*avait été*] *Néoptolème... L'unité de héros n'existait ni dans la* Petite Iliade, *ni dans les* Cypriaques, *ni dans la plupart des autres poèmes.* » Unde sequitur, si doctissimi philologi opinionem recipimus, Andromacham in iisdem istis poematibus non magis quam ceteras captivas eminuisse.

Ceterum in *Parva Iliade* et in *Exscidio Trojae,* tametsi utrumque poema non progressum esse videtur ultra praedae inter profecturos Graecos divisionem, fieri potest ut de Andromacha mentio facta fuerit, sed ita ut poetae, futura praecipientes, Andromachae in Graecam terram delatae vices, per anticipationem tantummodo, ergo brevissime attingerent.

Eadem de Stesichoro verisimilia esse arbitror. Quippe qui in Ἰλίου πέρσιδε, Andromacham sine dubio attigerat, quoniam de Astyanacte loquitur (cf. Bergk, *Lyrici,* III, p. 213, fragm. 20); sed de Hectoris uxoris in exsilium abductae fatis aliquid illum cognovisse nihil indicat; in Ὀρεστείᾳ autem quam scripsit, nihil amplius egisse eum quam caedem Orestis putare licet (Cf. Seeliger, de hoc poemate). Et si forte res Andromachae exsulis et captivae ibi a Stesichoro expositae fuissent, indoles saltem apte describi non potuit. Parum enim ἠθοποιίᾳ a lyricis poetis attendebatur, etiam epicos mythos tractantibus. De quo v. A. Croiset, op. cit., t. II, p. 320-321.

2. Neoptolemi quoque Νόστον compositum fuisse fieri potest, in quo et ejus caedes, Delphis ab Oreste patrata, narrata fuerit. Quod quidem libenter conjiciam e Pindari Nemeis (IV, 82, sqq; VII, 50, sqq.), cum Pausania, I, 11, 23, cumque Dicte cretensi (VI, 7, 9, 10, 12, 13) collatis. Agiam tamen, quem praecipuum Νόστων scriptorem exstitisse scimus, de Neoptolemo ipso multa scripsisse non verisimile est, cum Atridarum ita rebus incubuisset (cf. Procli *Chrestomath.;* Croiset, *Litt. grecq.*, I, 443) ut Κάθοδος τῶν Ἀθρειδῶν poema ejus potuerit appellari. Ergo non magis Neoptolemum attigisse credendus est, quam quod Orestis facinoribus enarrandis necesse fuit.

3. Cf. Bergk, t. II, p. 57-58; Croiset (M.), t. I, p. 430.

pars, » ut Quintilianus ait, « in nominibus est occupata. » Personarum ergo advocatarum nimia quasi turba obruti, ingenia et affectus describere ipsasque inducere loquentes (quae quidem optima est, sed longior, mores depingendi ratio) minime curabant.

Credo igitur, si quis epicorum posterioris aevi poetarum vel fusius de Andromachae fatis disseruerit, nihil ab eo homericae Andromachae indoli fuisse additum[1] quo opportune Vergilius adjuvaretur.

Jam de illa, quam in graecum et latinum theatrum[2] prolatam fuisse scimus, Andromacha, idem putandum easdem ferme ob causas arbitror. Scripsere quidem Sophocles *Captivas, Polyxenam* et *Hermionam,* Livius Andronicus et Pacuvius *Hermionam,* Naevius *Hectorem proficiscentem,* Ennius *Andromacham captivam,* Accius *Astyanactem* vel *Troadas*[3] (ne alias aliorum tragoedias memorem); quarum vero fabularum nulla est ubi tractatos exsulis et servientis Andromachae casus moresque fuisse comperiamus[4]. Nam in Sophoclis *Captivis* (ac forsan in *Polyxena*) non ferme dissimiles Andromacham partes atque in Euripidis *Troadibus* gessisse, virorum doctorum

1. Ceterum nonnulli inter antiquos sive historicos, sive poetas, tradiderant, Astyanactem non interfectum fuisse a Graecis, superstitem vero novae Trojae aliarumque urbium conditorem postea exstitisse (*Schol. Hom.*, in *Il.* Ω 735). Cf. Seeliger, p. 29-30. Ab iis autem poetis qui servatum Astyanactem faciebant, Andromachae indoli, si qua de illa mentio fiebat, non idem color induci debuit quam vergilianae Andromachae interemptum filium indesinenter lugenti.

2. Cf. *Tragicorum latinorum reliq.*, éd. Ribbeck; Ribbeck, *d. römische Tragödie;* L. Mueller, *Quintus Ennius*; ejusdem *Enni et Naevi reliquiae.*

3. Andromacham ullas gessisse in Livii Andronici et Naevii *Equo trojano* partes, non verisimile est. — *Andromacham* quamdam Naevio a nonnullis adscriptam Ribbeck (*d. röm. Trag.*, p. 50) parum certam censet. — *Neoptolemi* Acciani argumentum erat, Neoptolemus de Scyro a Graecis accitus. (Cf. infra, de Nicomachi *Neoptolemo*). — Accianas *Troadas* nihil fuisse quam alterum *Astyanactis* titulum haud inepte Ribbeck conjicit (op. cit., p. 416, 417).

4. Frigidius et placidius nempe spectaculum quam ut Romanis placeret, quibus maxime arriderent, inquit L. Mueller (*Ennius,* p. 91) « *Sujets von packender Wirkung... starkwirkende Stoffe.* » Neque nesciebant Naevius et Ennius « *dass seiner Publikums Nerven durch den hannibalischen Krieg abgehärtet waren.* » Plures igitur fuere Romae de Medeae atrocibus facinoribus (cf. infra) cruentaque Thyestis Atreique simultate quam de ullo alio argumento tragoediae.

consensu probatur[1]. Naevii autem in *Hectorem proficiscentem* Hectoris eadem adhuc uxor inducta fuit; Enniique *Andromacha captiva,* sicut et Accii *Astyanax,* nihil aliud fuit quam Euripidis *Troadum* cum aliqua parte ejusdem *Hecubae,* vel cum Sophoclis *Captivis mulieribus* ac forte *Polyxena*, commixtarum[2] retractatio. Quod quidem fragmentis Latinorum poetarum quae supersunt, satis manifesto declaratur. Ita igitur se omnibus his in fabulis gerere debuit *Andromacha :* scilicet initio acerrime enitebatur ut filium suum intentatae a Graecis morti eriperet; sperabat fortasse interdum, cum omnes Graeci de tollendo Astyanacte non consentirent, fore ut proles sua servaretur; deinde post dejectum a turribus Astyanactem, luctu perdita, victorum saevitiae maledicebat, et justa interempto filio persolvebat[3]. Nihil vero haec omnia ad Vergilii propositum et utilitatem spectabant.

Tum etiam in latinis plerisque supra enumeratis fabulis, multo minus conspicue eminuisse quam in Euripidis *Troadibus* Andromachae partes verisimile est.

Longe enim abest ut in Enniana vel etiam in Acciana

1. Welcker, *d. griech. Trag.*, I *Abth.*, p. 171 sqq.; Ahrens, *Sophoclis tragoediae et fragmenta,* p. 275-280; etc. — De Euripidis junioris et Nicomachi *Polyxenis* idem fere sentiendum ac de Sophoclea. Suidas enim fuisse Nicomacheae *Polyxenae* alteram inscriptionem ['Ιλίου] Περσίν. tradit (Cf. Wagner, *Trag. fr.*, p. 101).

2. L. Mueller (*Ennius*, p. 93; cf. *Enni rel.*, p. 213) censet latinos tragoediarum scriptores « rarissime contaminatione videri usos. » Aliter equidem cum O. Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 140, 416-417, et G. Boissier, *Le poète Accius,* p. 42, sentiendum puto. Ceterum L. Mueller ipse « quaedam ex Troadum et Hecubae fabulis ab Ennio » in *Andromacha* sua repetita fatetur (*Enni et Naevi reliquiae,* p. 225).

3. *Tragic. latin. reliquiae,* p. 20 (in Ennio) : « Andromachae nomen qui indidit, recte indidit. » Ribbeck, *d. röm. Tr.*, p. 137, vas quoddam pictum confert, ubi Andromacham agnoscere jure possumus, filium suum adversus graecos milites animose defendentem; cf. Birch, *Ancient Pottery,* p. 270-271 : — quorum testimoniorum ratio nobis habenda est, cum ea imaginum suarum argumenta usurpare artifices solerent, quae in poematibus, praecipue tragicis, maxime spectabilia visa fuissent. — Cf. *Tragic. lat. rel.*, p. 21 : « Quid petam praesidi aut exequar? » etc.; p. 22 : « Ex opibus summis opis egens, Hector, tuae... Quantis cum aerumnis illum exanclavi diem!... Vidi, videre quod sum passa aegerrume Hectorem curru quadrijugo raptarier, Hectoris natum de muro jactarier. » Perinde in Accii *Astyanacte, ibid.*, p. 133 : « Quorum [scilicet, ut conjici potest, Graecorum] crudelitatem nunquam ulla explet satias sanguinis. »

fabula (quanquam huic *Astyanactis,* illi *Andromachae* nomen inscriptum fuit) primam Andromacha personam egerit. Quippe in quibus Hecuba quoque, Polyxena et Cassandra, tum Neoptolemus et Agamemno et Ulyxes et Nestor et Calchas non ita leves partes sustinuisse videantur[1]. Neque tantummodo de Astyanactis caede agebatur, sed et de nonnullis aliis; nempe de Polyxenae interitu[2], de retardato Graecorum classis exitu[3] donec Achilleae umbrae mactata Polyxena satisfactum foret, item de dissidiis inter Achaeorum duces propter pulcherrimae Priamidis illius necem obortis[4]. Quin etiam in Enniana fabula Neop-

1. Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 135-142, 413-416. Calchas in tragoediis illis easdem ferme quas Tiresias in OEdipo tyranno partes sustinuisse videtur.

2. Cf. Ribbeck, *op. cit.*, p. 139, de Enniano fragmento : « Acherunsia templa alta Orci, Pallida leto, nubila tenebris Loca salvete infera... » Quam quidem magniloquentiam Astyanacti tum paene infanti non convenisse Ribbeck rectissime judicat. — Cujus tamen opinioni non adsentitur L. Mueller (*Enni et Naevi rel.* 225, 227). — In eadem Ennii fabula, Hecubae filiae suae Polyxenae caedem spectavisse, illud quoque mihi est indicium : « Sed quasi ferrum aut lapis Durat, rarenter gemitum conatu trahens, » quod quidem Hecubae silenter dolenti mire convenire videtur. (Cf. Euripideas *Troadas,* ubi Hecuba longiores et rhetoricas suae nurus querelas oblique vituperat.)

In Acciana item fabula, versus iste : « Utinam unicam mi antistitan Arquitenens suam Tutetur ! » Hecubae de Cassandra loquentis esse debuit. (Cf. Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 415-416-417.) — De istis autem versibus Accii (apud Nonium, ed. L. Mueller, II, p. 108) : « Abducite intro, nam mi miseritudine Commovit animum excelsa aspecti dignitas, » conjicit Ribbeck, (*op. cit.*, 415-416) verba fuisse Agamemnonis de Cassandra ; minus bene, ut opinor, cum de Hecuba vel Andromacha dicta facilius intellegas.

3. Narrabatur quoque forsitan, ut opinor, tempestas quae Graecorum abeuntium classem ab alto prohibet : cf. Ennius, fr. VIII : « Rapit ex alto naves velivolas. » — Conjicere possumus fabulam Ennianam in duas partes fuisse divisam : in priore Astyanax, in altera Polyxena immolabatur, medium vero tenuit tempestas et impeditus a Diis Graecorum discessus.

4. Cf. Accium apud Nonium (ed. L. Mueller, I, 131) : « Nil credo auguribus... Tu Calcha finem religionum fac; » item Ennium apud eumdem (I, p. 104) : « Quid fit, etc. » Cf. Ribbeck, op. cit. p. 138-139. — Quas autem dissensiones L. Mueller (*Enni. et Naevi rel.*, p. 227) arbitratur propter solam caedem Astyanactis obortas, quia scilicet artificiosius et una simplicius fuit unius de caede agi. Sed mihi probabilior Ribbeckiana sententia videtur; et ita censeo quod tragoediae latinae, sicut et comoediae, scriptores a Graecorum simplicitate abhorruisse verisimile est. Quanquam de hoc aliter alii inter doctos sentiunt, tragicos quemadmodum comicos poetas *contaminatione* usos esse opinor. Ceterum in ipsius Euripidis *Troadibus* duplex caedes est, Polyxenae et Astyanactis. Ennianam et Accianam fabulam titulo suo plane respondisse non necessarium est. Haec enim *Andromacha,* illa *Astyanax* vulgo a populo appellabatur, quia nempe pars illa tragoediae ubi vel Andromacha abducta, vel Astyanax a matris complexu avulsus ac praecipitatus maxime spectatorum romanorum misericordiam movebat.

tolemus, etiamtum juvenis, patris sui commilitones et amicos consuluisse creditur, qua ratione quibusve studiis ac laboribus patrium decus tueretur[1]... Quantulum igitur, in tanta variarum redundantia rerum et in hac spissa agentium personarum turba, Andromachae indoli describendae spatium, quantulum tempus supererat!

Neque vero amplior ei locus concedi potuit in Sophoclis et Livii Andronici aut Pacuvii de *Hermiona* tragoediis, quas ab Euripideae *Andromachae* argumento discrepuisse arbitror[2]. Nam Delphis, non in Epiro, res agebatur[3], quaeque in fine tantummodo Euripideae fabulae recitatur, Neoptolemi caedes ab Oreste ipso (vel a quodam ejus amicorum) patrata, praecipua iis in tragoediis pars actionis fuit et ad quam cuncta vergerent. Praeterea in scaenam inducebantur, — saltem in latinis *Hermionis,* — cum Hermiona ipsa et Neoptolemo, Orestes, Pylades, Menelaus, immo Tyndareus; cumque Sophocleam, non Euripideam[4], *Hermionam* ab Andronico et a Pacuvio sive in latinum sermonem translatam, sive retractatam, ex illorum fragmentis existimare jure liceat, inde sequitur ut in Latinis *Hermionis*, sicut et in graeca, certamen profecto et altercatio coram Menelao fuerit inter Neoptolemum, cui data conjux Hermiona fuisset, et Orestem, cui promissa[5]. Denique ista sine dubio esse debuit totius fabulae

1. Cf. *Tr. lat. rel.*, ed. Ribbeck, p. 53, fr. xiii; Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 140 sqq.

2. Ribbeck, *op. cit.*, p. 31, Livii Andronici *Hermionae* argumentum ex Hygini fabula 123 verisimili conjectura restituere mihi videtur, excepto quod infra de Andromacha animadversurus sum. — Pacuvii *Hermionam* Sophocleae consimilem fuisse Ribbeck cum Welcker opinatur.

3. Welcker, p. 221 ; Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 261-262.

4. Quod supra de illa Euripideae *Andromachae,* qualem induxit, apud Graecos novitate et insolentia notavi, idem hoc magis etiam Latinis spectatoribus convenit, quibus fastidium movissent frivolae istae inter uxorem et pellicem altercationes.

5. Welcker, *op. cit.*, p. 220 sqq. — Cujus contentionis monumenta recenseo ista Pacuvii apud Nonium fragmenta : 1° (ed. L. Mueller, I, p. 261) : « *tuo judicio quae omnes Graios tetinerim* (i. e. detinuerim, devinxerim): L. Mueller : « Si recte habet jam versus, verba sunt Hermionae ad Orestem, vel Pyrrhum, pulchritudinem ejus extollentem » ; — 2° (*ibid.*, I, p. 356) : « *quod* (vel *quot* <tropaea>) *ego in acie crebro objectans vitam bellando aptu'sum;* » quae quidem verba alterutrius ex heroibus aemulantibus (Pyrrhi potius quam

summa, nempe Neoptolemi cum Oreste aemulatio, non cum Hermiona Andromachae [1]. Immo etiam ne in scaenam quidem inductam fuisse Andromacham certum est vel necessarium [2]. Superstitibus enim e fragmentis nihil aliud conjicere possumus, nisi ejus filium, ex Neoptolemo genitum, Ancialum nomine, in Andronici fabula personam quamdam egisse [3]. Paucissima ergo communia cum Euripidea *Andromacha* Sophoclea, Liviana et Pacuviana *Hermionae* habuere [4].

Nihil igitur Vergilius neque e latinis, neque e graecis,

Orestis) se ipsum laudantis libenter conjiciam; — 3° (*ibid.*, I, p. 503) : « *par fortitudo, gemina confidentia,* » quae verba esse potuerunt Hermionae incertae utrum anteponat; vel illius nutricis eam alloquentis.

1. Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 261-270. — Ad Menelaum litis judicem illa quoque spectare Pacuvii apud Nonium fragmenta haud immerito conjicias : 1° (I, p. 360) « *quid benefacta mei patris, cujus Opera te esse ultum autumant?* » Recte Mueller : « verba Orestis ad Menelaum »; 2° (I, p. 440) : « *Priu' datast quam tibi dari dicta, aut quam reditumst Pergamo* » : verba scilicet, seu Orestis ad Pyrrhum, sicuti vult Mueller, sive Menelai ad Orestem. (Cf. Hygin. fab. 123.).

2. Ut affirmet Ribbeck Andromacham Sophoclis, ergo Pacuvii Sophoclem secuto, fabulae interfuisse, in hoc solum nititur quod in caelata cista Gerhardus Andromacham, Hermionam, Helenum, Orestem, ex utraque parte prope Neoptolemi tumulum adstantes, repraesentari conjecerit.

3. Versum illum Livii Andronici a Nonio citatum (ed. L. Mueller, I, p. 155) alii aliter legunt.

Ribbeck vulgatam accipit : « Obsecro te, Anciale, matri ne quid tuae advorsus fuas, » et sic interpretatur quasi Andromacha adesset, sive filium orans ne cum inimicis matris suae amicitiam faciat, sive monens eum, ad patre missum, quomodo se gerere et loqui debeat adolescens.

Verum conjicere quoque liceat hoc esse Pyrrhi morientis verbum, servae, quam fidelem semper expertus sit, filium alloquentis, hortantisque vivide adolescentem ut matrem colat ac tueatur.

Legit autem L. Mueller : « Obsecrato, Anciale, matri ne quid tuae advorsus fuat. » Quod si conjecturae isti adsentiri debeamus, Andromachae verbum esse possit filium hortantis ut Pyrrhum rursus ipse obsecretur ne captivae suae infensus fiat, utpote qui ab Hermiona et Menelao adversus illam incensus sit. Sed et textus adhuc incertus, nec minus incerta commentatio.

4. Nicomachum in *Neoptolemo* argumentum idem elegisse quam Sophoclem in *Phoenice,* — id est Neoptolemi profectio ad Graecos Trojam obsidentes, — Welcker, Ahrens et Wagner consentiunt. (Cf. Wagner, p. 102.) — De Antiphontis *Andromacha* nihil vel etiam divinari ausim. De qua vide Wagner, p. 106; Kayser, *Hist. crit. trag. gr.*, p. 201, 204. Non video quid causae sit cur Kayser conjiciat « vix aliud argumentum » in hac fabula « quam Euripides in cognominato dramate » Antiphontem tractavisse. An quia in quodam Aristotelis *Poetices* (XIII) loco *Orestes* inter heroicas gentes quas plerumque tragici temporis sui tractarent nominatur? Nam ex *Ethica Eudemia* VII, 4, nihil aliud comperimus, nisi Andromacham Antiphontis vehementi quodam (sed quo, nescimus) affectu fuisse captam.

sive epicis aut lyricis, sive tragicis poematibus haurire in excogitanda Andromachae suae indole potuit. Accedit illud insuper: nihil (sicuti paulo post monstraturus sum) nihil, inquam, grave quodque alicujus sit momenti, de rebus Andromacheis in Vergilii Aeneide expositum esse, quod non et duabus Euripideis fabulis insit.

Duplici igitur probatur argumento nusquam alio a Vergilio, Andromacham describente, subsidia vel quaesita fuisse, vel reperta, quam in Euripidis (quod attinet ad res ipsas) tragoediis, aut in Homerica (quod attinet, ut posthac videbimus, ad Andromachae mores) Iliade.

II

DE DIDONE

De Didone breviore demonstratione opus est ut pateat alia nulla exempla Vergilio utenda adfuisse nisi quae nos ipsi nunc tenemus : dico eas mulieres quas Homerus, Euripides, Apollonius, Theocritus et Catullus ab amato viro derelictas effinxerunt.

Nullum enim apud antiquos ante Vergilium fuisse vel tragicum de Didone vel epicum vel lyricum carmen, id veterum Aeneidis commentatorum silentio indubitate significari mihi liquet. Quippe cujus operis nomen saltem ac titulum doctissimi Aeneidis interpretes, Servius nempe aut Macrobius, profecto tradidissent, si quod fuisset.

Naevium sane et Ennium de Didone scripsisse aliqua, hunc in *Annalium* libro primo, illum in *Punicorum* initio constat. Uterque enim, alterum altero imitante, Romae et Carthaginis « potentissimarum aetate sua urbium et imperii aemularum simul rettulerunt exordia, originesque ambarum aliquo modo inter se conjunxerunt [1]. » Sed sicuti recentioribus criticis, exactius hanc rem scrutatis, haud im-

1. L. Mueller, *Enni et Naevi reliquiae*, p. XXIII-XXIV.

merito (ut mea fert opinio) visum est[1], neque Naevius, neque Ennius auctor fuit Aeneam, antequam in Latium perveniret, ad Didonem divertisse, quoniam uterque poeta « eodem plane anno Romam et Carthaginem conditas fuisse asseverasse videatur »[2]. Nulla igitur ex eorum operibus quodvis ducendi Vergilio ansa fuit. Atque gravissimis Luciani Muelleri de hoc argumentis illud adjicere mihi liceat : cum in commentario Aeneidis Servius diligentissime indicare soleat[3] quaecumque a *Punicis* aut *Annalibus* translata sint in Aeneidem, atque ea vel minima, tanto magis si quae de Didone plura et graviora a Naevio et Ennio mutuatus Vergilius fuisset, ea Servius utilia furta patefacere, illudque ad majorem poetae suae gloriam, aequum censuisset[4].

Sed et historica quoque Vergilio aderat de Didone traditio[5]. Quam ut abunde aestimemus, eaque discernamus

1. Id., *Ennius,* p. 147 sq., 150 sqq.; *Enni et Naevi rel.,* ubi supra; Scheben, p. 9.

2. L. Mueller, *Enni et Naevi reliq.,* p. xxiv : « Ut constat Naevium pariter atque Ennium dixisse Romulum Aeneae ex filia nepotem, apparet ne potuisse quidem fieri ut illa faceret Aeneam devertentem ad Dido, si modo et ipse eodem anno Romam et Carthaginem tradidit conditam. » Versum autem Naevii Didoni saepius adscriptum : « blande et docte percontat, quo pacto Aenea Urbem Trojam linquisset, » Latini regis Aeneam benigne accipientis verba esse L. Mueller judicat. (Cf. de versus istius disceptato textu eumdem Mueller, in editione Nonii Marcelli, *De compendiosa doctrina,* t. I, p. 537 et t. II, p. 85.)

At enim nisi Naevius Enniusque, alii certe finxerant Didonem (vel Annam) se Aeneae amore conjunxisse, teste Varròne apud Servium. Verum fabula illa tractari vel potius obiter enuntiari non potuit nisi a minore tantummodo ac perobscuro poeta, cujus ne nomen quidem ad nos pervenerit ; — aut etiam ne scripta quidem fuit, sed in vulgaribus ac religiosis fabulis contenta fuit donec inde eam Vergilius erueret. Utique igitur, et utrolibet a fonte Vergilius Didonis cum Aenea amorem accepit, non prorsus ante illum luculente neque vivide descriptum fuisse hunc amorem extra dubium nunc ponitur.

3. Cf. Servius in *Aen.* I, 198, 207 ; II, 797 ; III, 10 ; IV, 9 ; IX, 715. Ea quoque quae apud Naevium Enniumque ac Vergilium diverso modo tradita sunt, Servius sedulo notavit.

4. Satis notum est latinorum historicorum veterum neminem, sive qui integri ad nos pervenere (Liv., I, I), sive quorum fragmenta quaedam supersunt (cf. *Histor. Rom. fragm.,* ed. Peter), de Didone quidquam novisse videtur : quod confirmat illa de Aeneae erroribus narratio, quae libello *de Origine gentis romanae* continetur, quaeque e multis antiquis scriptoribus (Alexandro Ephesio, Caio Caesare, Lucio Caesare, Catone, Pisone, Lutatio, Domitio, Vulcatio, Acilio Pollione) collecta ab incerto auctore fuit.

5. Et illam satis plenam rerum fuisse credo, ex ipsius Vergilii verbis, I, 341 : *Longa est injuria, longae Ambages ; sed summa sequar fastigia rerum ;* —

quae inde in usum suum traduxerit Vergilius, prorsus sufficiunt Timaei fragmenta[1], luculentaque Justini de Carthaginiensium originibus narratio[2].

III

DE DEPERDITIS MEDEIS

Quod vero non ad Didonem ipsam sed ad illas mythicas personas attinet, — Calypsonem dico, Circamque, Medeamque, Ariadnamque ac Simaetham, — similia quidem Didoni passas, quarumque ad exemplar Vergilius mulieris tum amantis, tum deceptae affectus depinxit, neque de personis istis, praeter ea quae novimus Homeri, Euripidis, Apollonii, Theocriti, Catulli poemata, alia quaedam exstitisse verisimillimum est, unde noster in rem suam tantillum convertere potuerit.

Primo enim de Calypsone, Circa Simaethaque, nullum fuisse peculiare carmen pro certo habendum est[3]. Quod si fuisset, paene necesse sit ut sciamus, cum tam multae usque ad nos pervenerint grammaticorum compilationes, tam multa et longa in graecos scriptores scholiastarum commentaria, tot « bibliothecae » excerptis, tot lexica nominibus ac titulis referta. Perpaucas egomet reor nobis ignorari deperditorum antiquitatis librorum inscriptiones.

Medeas contra, praeter Euripideam et Apollonianam, sive inter Graecos, sive inter Latinos non defuisse extra

IV, 632-633 : Tum breviter Barcen nutricem ad fata Sychaei, *Namque suam patria antiqua cinis ater habebat.* — Ex *Aen.,* IV, 211 sqq., conjicit Kvičala Vergilium non novisse ea quae perhibuerint nonnulli inter antiquos de decepto Iarba a Didone in Africam considenti. (*Verg.-Stud.,* p. 107.) Ego neglexisse eum potius censeo (de quo v. infra in *Didone,* III.)

1. Timaeus, fr. 23 (*Didot,* I, p. 197).

2. Justinus, XVIII, 4 sqq. — Cf. Servius in *Aen.,* IV, 36. — De Didone-Astarte, v. Preller et Jordan, *Röm. Mythol.,* II, 313, n. 1 ; 406, minime autem facile est intellegere quid ex ea fabula trahere potuerit Vergilius.

3. *Circam* Satyrici dramatis vel comoediae argumentum poetis praebuisse videtur (Patin, *Trag. grecs,* t. IV, p. 280).

dubium stat [1]. Etenim Sophocles in tribus utique fabulis Medeam attigerat : in *Colchidibus*, in *Scythis* et in *Peliade ;* Euripides *Peliadem* et ipse composuerat [2] ; et inter alias aliorum poetarum Carcini praecipue *Medea* refertur. Verum ex istis, quae non superfuere tragoediis nihil assumere potuisse Vergilium quod ad Didonem suam transferret, aut, quando potuit, nihil assumpsisse contendo. Neque prorsus non haec est res idonea de qua accuratius quaeratur, cum quidam e recentioribus philologis plus justo adaugere mihi videantur ea quae Graecis tragoediis seu superstitibus, seu amissis Vergilius debuerit [3].

Scytharum autem Sophoclis illud argumentum fuisse viri docti consentiunt : Argonautas Colchorum regem cum classe persequentem in Scythiae litore tandem fuisse adeptum ; — tunc vero exterritos, periculo instante et hostibus numero praevalentibus, graecos heroes de placando Aeta reddendaque Medea dubitasse ac deliberasse ; — Medeam contra horum consilio obstitisse, ac denique mitigatam, cum Argonautis usque remansisse [4]. Quibus autem affectibus tunc temporis commota Medea fuerit, ex iis primum conjicere nobis datur quae antea fecisse eam Sophocles finxerat. Non autem modo Jasonem, amore percita, artibus suis adjuverat, sed et Absyrtum fratrem jam antea trucidaverat [5]. Infandi igitur sceleris conscientia, simul atque iratorum suorum terrore, exagitatam (neque

1. E. A. I. Ahrens, *Sophoclis perditarum* [*fabularum*] *fragmenta ;* Fr. G. Wagner, *Fragmenta Euripidis* [et] *perditorum tragicorum omnium ;* Welcker, *die griechischen Tragödien ;* Kayser, *Historia critica tragicorum graecorum ;* Patin, *Études sur les Tragiques grecs.*

2. Consulto Euripidis *Aegeum* omitto, in quo Medea quoque inducebatur, sed alia prorsus vulgatae de illa fabulae pars in hac tragoedia exponebatur. (Cf. Welcker, p. 729 ; Wagner, p. 621.)

3. Conington, in prooemio *Vergilii* ab illo editi ; Henry, *Aeneidea ;* Ribbeck, *Geschichte d. röm. Dichtung.*

4. Welcker, p. 337 sqq. ; Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 530-531, de Accii *Medea.* — Ahrens (p. 326 sq.) non in Scythia sed alio in loco prope Graeciam illius tragoediae fabulam actam esse censet ; quibus autem ex causis non satis liquet.

5. Quod in *Colchidibus* Sophocles videtur narravisse (Schol. Apoll., in l. IV, 223). Cf. Welcker, op. cit., p. 337.

tantummodo Jasoni, qui tam cito ipsam prodere inciperet, indignantem) Sophocles inducere Medeam debuit. Unde fit ut in hoc casu Colchicae virginis condicio, mens ac verba non eadem esse potuerint ac Didonis. Ceteroqui apud Apollonium a quo non multo absimilis de hac re historia narratur, satis fuse increpat ac precatur raptorem suum Medea [1] : ita tamen ut inde Vergilius perpauca admodum excerpenda sibi censuerit [2]. Ergo e Sophoclis tragoedia item.

Jam vero in *Peliade*, tum Sophocli, cum Euripidi adscripto [3], nihil ad vergilianam rem pertinuit, cum ibi neque de Medeae in Jasonem amore, neque de Jasonis erga Medeam perfidia ageretur ; sed illud solum exponeretur quibus Medea dolis Peliadis filias ad voluntariam patris necem perduxisset.

Etenim eae sine dubio partes priscae de Medea fabulae fuere quae antiquos lectores vel spectatores plurimum delectavisse videantur : magica scilicet illius opera mirabiliaque maleficia. Ea profecto fuit materia, — incantationum dico luculentam descriptionem [4], — illarum quarumcumque tragoediarum, quae quidem nulla sui, nisi nomina inania, in commentationibus veterum vestigia reliquere : Euripidis minoris scilicet, Herillique, Melanthiique, Dicaeogenisque et Bioti (vel potius forsan Dionysii tyranni) *Medearum* [5].

Sed et aliud quoque Medeae fabula tragicis poetis prae-

1. *Argonaut.*, l. IV, v. 350-409.

2. Cf. *ibid.*, 350-390 cum *Aen.* IV, 305-330, 371-387, 534-543, ut quot et quanta discrepent videas. — De quo Apollonii loco vide infra, in nostra de *Didone* dissertatione, x-xi.

3. Welcker, p. 340 sqq., 625 sqq. ; Ahrens, p. 327-329 ; Wagner, p. 765 sqq.

4. Quod quidem testantur pictae sculptaeque, quae supersunt, Jasonis et Medeae imagines. Multo enim plures eae sunt, ubi Medea Peliadis filias decipiens vel liberos suos trucidans quam eae ubi Jasonis amore perculsa effingitur. Cf. O. Müller, *Manuel d'Archéologie, trad. fr.*, t. II, p. 402 sqq. ; Creuzer et Guigniaut, t. IV, *part.* II, *pl.* nos 646-650 ; Birch, *Ancient Pottery*, p. 261.

5. Quas tamen fabulas ne scimus quidem num tragoediae fuerint (Cf. Patin, *Trag. grecs*, t. III, p. 154-155.) *Medeam* quoque Diogenes quidam composuisse dicitur, sed ille, quicumque fuit, post Vergilium vixisse videtur (Cf. Christ, *Griech. Literaturgeschichte*, p. 466 et 516).

buit, quod valde dulce Graecis esset, ex quo sana delicataque bonarum artium existimatio apud eos coepit hebescere : paratam scilicet occasionem ostentandae rhetorum et sophistarum arti.

Tale enim ultimum fuit inter multa Medeae facinora scelus, ut controversiae locum offerret : nempe liberorum ab illa perpetrata, ad repetendas a proditore Jasone poenas, caedes : exsecrabile simul atque excusabile factum. Quod autem jam ab Euripide [1] et Neophrone tractatum, multi profecto alii poetae repetiere; inter quos Carcinus, non ita tamen ut Euripidem vinceret, nam hujus, non illius, *Medeam* recordatum fuisse litteratissimum quemque Latinorum comperimus [2]; Euripidisque, non Carcini *Medeam* Ennius in latinam linguam transtulerat [3]. Carcini igitur *Medeam* Vergilius ignorare, aut si novit, nullum ex ea fructum capere potuit. Nam in Jasonis puerorum committenda nece, necnon et in docta facundaque rei excusatione tragoediae summam versatam fuisse verisimile est. Neque istius tragoediae argumentum, neque ea rhetorica et sophistica ratio qua tractatum hoc argumentum fuit [4], Vergilii proposito vel indoli accommodata erant.

Multo vero secus de illa Sophoclis tragoedia conjiciendum est cui nomen *Colchides* fuisse scimus.

1. Neophronis Medeae, — sive Euripidem ille imitatus erat, sive contra illius opus Euripides emendando retractavit (quod veri similius) — non aliud fuisse argumentum apparet quam Euripidis (cf. Wagner, p. 20-21 ; Kayser, p. 304-316 ; Christ, p. 210 ; Jevons, p. 219).

2. Patin, t. III, p. 155, Ciceronem, Brutum, Catullum, Vergilium (neque illum in Aeneide tantummodo, sed et in Bucol. viii, 47) Euripideae Medeae meminisse animadvertit.

3. Ribbeck, *d. röm. Trag.*, p. 149-157.

4. Cf. de Carcini *Medea* Arist., *Rhet.*, II, 23; de Antiphontis *Medea*, Kayser. op. cit., p. 204 ; deque omnibus his Graecorum post Euripidem tragoediis, quae in quaedam judiciorum certamina oratoriasque controversias plerumque exiisse videntur, Patin, t. I, p. 99 sqq., t. III, p. 154-155; Kayser ; *passim ;* F. Byron Jevons, *Hist. of greek Literature*, p. 233-235. — Illa Medeae liberos suos jamjam necaturae et secum deliberantis oratio, « locus » sine dubio post Euripidem factus est qui a poetis omnibus tereretur. Cf. Callirrhoes verba in *Chaerea et Callirrhoe* Charitonis Aphrodisiensis (l. II, ch. xix, *Erotici scriptores*, ed. Hirschig, p. 437) : « Βουλεύῃ τεκνοκτονῆσαι, πασῶν ἀσεβεστάτη, καὶ Μηδείας λαμβάνεις λογισμούς. »

Nempe ibi nonnulla esse potuerunt quae Vergilium adjuvarent ad describendum ineluctabilem illum impetum quo Didonem ad Aeneam impelli fingit. Apparet enim in hac tragoedia Jasonis adventum in Aetae regnum, Medeae amores, Absyrti caedem fuisse exposita [1]. Quam vero vivide regiae puellae amoris violentia a potentissimo in affectibus concitandis poeta describeretur, ex istis pulcherrimis versibus intellegere est a Stobaeo servatis :

Ὦ παῖδες, ἤτοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον
ἀλλ' ἐστὶ πάντων ὀνομάτων ἐπώνυμος, κ. τ. λ. [2],

quos quidem versus Vergilio licuit in primo quartove Aeneidis libro usurpare ; illudque non uno in loco, sive has quasi lyricas Veneris potentiae laudes ab una vel altera inductarum personarum pronuntiari fecisset, sive illas ipse interruptae, — sicuti aliquando fit in Aeneide, — narrationi suae proprio nomine inserere maluisset. Immo adeo mirum in modum verba illa Sophoclea Didonis affectibus et miseriis apta sunt, ut credere nequeam Vergilium, — si quidem tanto cum studio perquisisse credendus sit quaecumque poema suum ornarent, — tam bene convenientem nec minus illustrem ornatum sponte neglexisse. Latino igitur poetae Sophocleas *Colchides* non cognitas fuisse multo libentius conjiciam. Ergo inter omnes quae a graecis poetis in scaenam induci potuerunt Medeas, *Colchidum* Medea sola est quae Vergilio utilis fuisset [3].

1. Welcker, p. 333 sqq. ; Ahrens, p. 324 sqq., etc.

2. Stob., lxiii, 6 (ed. Meineke). Insequentes versus ii sunt, huic autem *generi*, ut ita dicam, amoris omnino accommodati, quo Vergiliana Dido « saucia » est :

Ἔστιν μὲν Ἅιδης, ἔστι δ' ἄφθιτος βίος,
ἔστιν δὲ λύσσα μανίας, ἔστι δ' ἵμερος
ἄκραντος, ἔστ' οἰμωγμός. Ἐν κείνῃ τὸ πᾶν,
σπουδαῖον, ἡσυχαῖον, ἐς βίαν ἄγον·
ἐντήκεται γὰρ πλευμόνων ὅσοις ἔνι
ψυχή. Τίς οὐχὶ τῆσδε τῆς θεοῦ βορά ;
..... Διὸς τυραννεῖ πλευμόνων · ἄνευ δορὸς,
ἄνευ σιδήρου πάντα τοι συντέμνεται
Κύπρις τὰ θνητῶν καὶ θεῶν βουλεύματα.

3. Tragicorum latinorum neminem *Colchides* retractasse scimus. Accii *Medea* Sophoclis *Scytharum*, Enni *Medea* Euripidis Medeae translationes fuere, nisi

IV

DE DEPERDITIS ARIADNIS

Ariadnam item a poetis vel epicis vel lyricis vel etiam tragicis interdum effictam fuisse (illudque praesertim apud Graecos) concedo, licet libri nullius titulus ad nos pervenerit, quo nobis illud declaretur. Sed non paucae supersunt vel sculptae vel pictae imagines, in quibus Minois filia expressa adest[1]. De quo vero ageretur in illis, quae potuerunt esse, de Ariadna poematibus, tum e scriptis testimoniis, cum ex iisdem artificum monumentis satis certo suspicari licet.

Primo enim Plutarchus aliique auctores nos docent varias fuisse ac dissimiles, immo etiam contrarias, quae per ora hominum transferebantur, de Ariadna narrationes[2]. Incertum fuit illud ipsum, an Theseus eam sponte dereliquisset : nonnulli enim oblitum fuisse, alii deseruisse, sed jubente Pallade aut Mercurio, vel etiam cogente Dionyso, perhibebant, qui quidem cum classe majore in Diam vel Naxum insulam superveniens per minas aut per vim ex Atheniensis herois manibus Cretaeam puellam eripuisset[3].

ad verbum omnino, saltem quod attinet ad sententias et affectus. Quid de suo attulerint in graecis argumentis repetendis latini poetae, diligenter explanatum a G. Boissier, *Le poète Accius* et O. Ribbeck, *die römische Tragödie.*

1. Creuzer *et* Guigniaut, *Religions de l'antiquité, fig.* nos 409, 451a, 456, 457, 460, 460a, 461, 511, 706, 706d, 707, 762a (pl. cix, cxvi, cxx, cxxi, cxxii, cxxvi, cxcixbis, cc, ccxvbis, etc.) ; O. Müller, *Manuel d'Archéologie, pl.* 31, 33; O. Jahn, *Archäologische Beiträge*, p. 251-299; Birch, *Ancient Pottery*, p. 225, 226, 238, 240, 257, 280, 298, 429, 500; Bougot, *Philostrate l'ancien*, p. 270 sqq. ; Bertrand, *Étude sur Philostrate*, p. 181 sqq. ; E. Saglio, *art.* Ariane (2e partie). *Dictionnaire des Antiquités de* Daremberg *et* Saglio (*notes*, 19 et 20.)

2. Omnia veterum scriptorum de Ariadna loca indicantur vel citantur a Stoll, apud Roscher, *Ausführliches Lexicon des griech. und röm. Mythologie*, t. I, p. 540-546. Cf. praesertim *Odyss.*, XI, 321-325 ; Schol. in *Od.*, *ibid.* : « διαφωνοῦσι δ' οἱ νεώτεροι πρὸς Ὅμηρον περὶ τῆς Ἀριάδνης λέγοντες αὐτὴν ἐν Νάξῳ καταλειφθεῖσαν γεγαμῆσθαι τῷ Διονύσῳ » ; Plut., *Thes.*, cap. xix-xx ; Apoll. Rhod., III, 997 sqq. ; Verg., *Aen.*, VI, 28 ; Servius in *Georg.*, I, 222 ; Pausan., X, xxix ; Philostr., Εἰκόνες, *trad.* Bougot, l. I, no xiii, p. 270 sqq.

3. Hanc autem traditionem usque ad extrema Graecarum litterarum tempora duravisse testatur Chariton Aphrodisiensis, in *Chaerea*, l. III, c. iii : « Τίς

Ambigebatur illud quoque inter veteres, utrum, a Theseo postquam fuisset derelicta, praematuram mortem paulo post (sive a Diana occisa, sive voluntaria morte) obiisset an contra, superstes, Dionysi facta fuisset vel Dionysi cujusdam sacerdotis uxor, ex quorum alterutro liberos, et illos plurimos, peperisset.

Inde fieri debuit ut varia quoque multiplicique ratione et incertum in modum delinearetur a poetis Ariadna. Neque illius, tanquam Andromachae, constans quaedam stetit ac semper sui similis imago, quam poetae non commutare, nisi tantillum, auderent, sed ea quam ad libitum unusquisque, prout animus ferebat, informaret[1].

Tum vero ex adhuc servatis picturae sculpturaeque monumentis[2] ostenditur, eam a poetis quoque, — (nam poetae artificibus argumenta praebebant), — potissimum fuisse tractatam Ariadneae fabulae partem qua Cretensis heroidis divinum conjugium et mystica in Superum numerum quasi assumptio celebraretur[3]. Duas fuisse Ariadnas, si Plutarcho credideris, a nonnullis existimabatur inter Graecos scriptoris istius aequales : vel potius duo fuerunt Ariadnae vultus, tristis hic et aerumnosus et humanus, divinus ille[4] festivusque et in quo erotica laetitia renideret. Cujus autem bifrontis Ariadnae hanc potius quam illam amasse veteres poetas et depinxisse

ἄρα θεῶν ἀντεραστής μου γενόμενος Καλλιρρόην ἀπενήνοχε καὶ νῦν ἔχει μεθ' αὑτοῦ μὴ θέλουσαν... Οὕτω καὶ Θησέως Ἀρίαδνην ἀφείλετο Διόνυσος... » Cf. Jahn, op. cit., p. 276 sqq.

1. Etiamsi recentiores poetae ab Apollonio usque ad Ovidium Ariadnam a Theseo male proditam fingere potius habuerunt, non inde sequitur priores quoque saepius hanc famam secutos fuisse. Cf. Homerici Scholiastae locum supra citatum de νεωτέρων opinione.

2. Cf. O. Jahn, *Archäol. Beiträge*, p. 255-256; 257-265; 274-275 sqq., 281 sqq.

3. « *Ein gleich beliebter Gegenstand für die bildende Kunst wie für die poesie* der späteren Zeit *war die auf Naxos von Theseus verlassene Ariadne.* » Atque in imaginibus illis « *die Vereinigung der trauernden Ariadne mit Dionysos geschicht... gewöhnlich.* » Stoll, loco citato. Cf. Pausaniam, I, 20 ; Philostratum, Εἰκόνες; Birch, op. cit., p. 225, 238, 240; Creuzer et Guigniaut, op. supra citato.

4. De quo v. Creuzer et Guigniaut, O. Müller, Stoll, ubi supra.

faciem ex imaginibus artificum constat, qui poetarum vestigiis cominus instare soliti erant.

Illae autem sunt causae cur de Ariadna Vergilio dives non suppetierit ψυχολογικὴ διατύπωσις. Teste enim Plutarcho Creticae puellae erga Theseum amorem subito natum esse et exarsisse, ex quo primum spectaverat illa gladiatoriam herois fortitudinem, antiqui poetae fecerant [1], nihil amplius neque subtilius de hoc amore quaerentes [2]. Nec plus operae, puto, in describenda desertae virginis desperatione impenderant [3] : etenim non diu ab Ariadna exspec-

1. *Thes.*, c. XIX ; DIOD., IV, 61, 5.

2. EURIPIDES quidem *Theseum* composuerat (cf. WAGNER, *op. cit.*, p. 710 sqq.; WELCKER, p. 733 sqq.) in qua sane tragoedia heros ab Ariadna adamabatur ; sed ex illis primum quae supersunt fragmentis (fr. II, IV, V, IX, X, ed. WAGNER), deinde ex Euripidis tragica indole philosophicisque studiis conjiciendum est Thesei virtutem ac sapientiam multo ampliorem in illa fabula locum quam teneros Ariadnae affectus obtinuisse. Adde quod Hippolytum quoque, Thesei filium, jam natu grandiorem, personam in ea gessisse videmus (fr. VIII); chorumque totum compositum fuisse ex adolescentibus (et forsan adolescentulis) quos Athenienses in Cretam mittere solebant Minotauro objiciendos, haud absurde conjecit WELCKER. Unde colligi potest paternum Thesei amorem, natum horrendae morti eripere volentis, tristemque devotorum puerorum sortem, denique injustam impiamque Cretensium legem, praecipua fuisse euripideae fabulae argumenta. Praeterea si « Daedali consilio » vel « factione » (sicuti a VERGILIO, *Aen.*, VI, 28 et a SERVIO, *in Aen.* VI, 14, pariter memoratur) Theseum e Labyrintho incolumem egressum Euripides et ipse finxisset, tanto magis imminutae in tragoedia Ariadnae partes fuerunt, minusque audaciae et strenuitatis ejus amori inerat. (Quanquam Daedali apud HYGINUM, in fab. XLII, neque apud DIODORUM, IV, 61, nullam fieri mentionem fateor.)

Cf. quoque de Euripidis Theseo quae disputavit O. JAHN (op. cit., p. 254-255). Cujus ego conjecturis non omnino adsentior. Nam cum credat Ariadnae amorem magnum in fabula tenuisse locum, sentiat tamen hunc amorem multo minus jucundum fuisse « *wenn* [Theseus] *als Familienvater auftritt,* » Hippolytum fuisse vult non Thesei filium, sed ex Atheniensibus pueris Minotauro oblatis unum. At vero tradita veteribus fabulis erant puerorum horum nomina (V. SERV., in *Aen.*, VI, 21) ; quae cur Euripides mutare opportunum censuisset, non video.

Quod si in alias apud Graecos inducta fuit Ariadna tragoedias (e. g., in THEODECTAE *Theseum*, de quo v. WAGNER, *op. cit.*, p. 116), in iis potissimum descripta fuisse verisimile est sive *Minotauri* a Theseo caedem (BIRCH, p. 257, n. 14, JAHN, p. 257-265); sive *Dionysi* cum Ariadna amores : de quo vide XENOPHONTEM, *Symp.*, IX (quem citat ELLIS, *Commentary on Catullus*, p. 280) et BIRCH, op. cit., p. 225, 238, 280, n. 24. — Multo rariores inventu sunt imagines illae, ubi *Thesei* cum Ariadna amores ac nuptiae referuntur. (JAHN, p. 255; BIRCH, p. 226, de picto vase quod « *François-vase* » dictum est ; p. 257, n. 15.)

Denique in scaenica Latinorum poesi nullam fuisse scimus Ariadnam, nisi comicam quamdam tragoediam vel satyricum drama Pomponio Secundo addictum.

3. Inter antiquas imagines, vel quae ipsae supersunt, vel quae ab antiquis scriptoribus describuntur, ut Ariadnam deflentem paucae, ita Ariadnam dor-

tata solacia fuisse antiquitus traditum erat, sed ei praesto adfuisse Bacchum, quando Thesei navem in alto etiam tum conspicere erat, narrabatur, novumque sine ulla mora conjugem in locum vixdum profecti raptoris successisse. Atque sic vel ab alexandrinis poetis, sicut e Catulli poemate comperitur [1], res Ariadnae explicatae erant.

Quanto magis apud veteres Latinos poetas, — si qui forte fabulam istam tractavissent, — hunc in modum factam fuisse narrationem putandum est! Numquid enim ad romanos vel scriptores vel lectores delectandos detinendosque valuerunt sive molles virginis, amare incipientis, curae, sive desertae ejusdem angores? Num subrusticis Quiritum, — vel etiam postquam a Graecis excoli coeperunt, — inficetisque ingeniis, veneres istae cupidinesque probari poterant? Quid ad illos nugatoriae istae puellulae cujusdam sollicitudines? Quapropter satis, ut opinor, fuit Latinis poetis obiter narravisse Ariadnam, — sicut et Medeam — viso Theseo (vel Jasone), absoluti omnibus numeris herois desiderio protinus incensam deflagrasse, sicut fieri par esset et secundum naturae ordinem; neque illos in talibus nugis commorari oportuit. Jam vero derelicta muliercularum illarum utraque, Romanis auditoribus bilem, credo, movisses, si futilibus et absurdis utriusque lamentis aures eorum diutius fatigasses. Neque enim justae illae erant Thesei Jasonisve nuptiae, neque tantam clamitationem legitimo repudio concitari decuit. Quemadmodum igitur Medeam ratiocinantem an liberos suos necaret, vel aliud quodvis viraginis istius, haud ad agendum timidae, facinus spectare vel audire Romanis maxime omnium placuit, ita Ariadnae bacchanalem pompam laetamque ἀποθέωσιν; primusque inter Latinos Catul-

mientem multae exhibent. (Cf. PAUSAN., I, XX, 3; LONGUM, *Pastor.*, l. IV, c. III; CHARITONEM, l. I, c. VI; l. VIII, c. I; JAHN, p. 281 sqq.) Atque ubi primum expergefactae puellae ante oculos stabat tum Eros irridens aut solaturus, tum ipse Dionysus admiratione et amore percitus. (Cf. JAHN, p. 280-299; BOUGOT, *Philostrate l'ancien*, p. 271-276.)

1. Cf. infra in *Didone*, IV, VI, VIII-XII.

lus forsitan fuit, qui dolentis virginis animum sedulo exprimere dignatus sit.

Ergo ita censeo : quamvis non omnia antiquitatis scripta in manibus habeamus, tuto tamen nobis conjicere datur nihil fere nos eorum latere quae de Didone et Andromacha cognovisse necesse sit, Vergilianae cum imitationis tum inventionis rationes et vias perspicere aggredientibus. Supervacaneam philologorum istorum esse curam existimo, qui semper ad ignotos nobis auctores respiciunt, libenterque dictitant, nonnulla praesto fuisse Vergilio subsidia, et illa etiam plura aut uberiora quam ea ipsa quae nobis cognita sunt. Contra ego vix levissimum nobis errandi periculum subeundum esse arbitror, si ea quae in Homero, Euripide, Apollonio, Theocrito, Catullo non reperiantur, Vergilii esse confidenter statuerimus.

CAPUT SECUNDUM

DE ANDROMACHA

I

Ambas Euripidis fabulas in quibus Andromacha comparet Vergilio ante oculos adsidue adfuisse mihi non dubium est. Inspicienti enim in tertio Aeneidis libro Andromachae contentum viginti et duobus versibus ad Aeneam responsum, constat in prioribus quattuor redditam a Vergilio fuisse Andromachae ad Hecubam orationem quae in *Troadibus* invenitur ; in novem vero sequentibus, totam Euripidis *Andromacham* breviter quasi resumptam et collectam [1] ; nam et ipsa de Andromacha cum Heleno denuo nubente fabula in graecae hujus tragoediae epilogo per praedictionem narratur [2].

Quae autem addidit Vergilius, perpauca ea sunt, minimique sane momenti [3]. Nam « sortitum » capta Troja, sicut et ceteras Trojanas Andromacham « pertulisse » Vergilius dicit ; delectam sibi seorsum a Neoptolemo Euripides [4]. Helenum quoque concessae sibi Epiri post Pyrrhum exstinctum parti Chaonium nomen imposuisse ; parvamque Trojam

simulataque magnis
Pergama

ibi constituisse. Quae quidem etymologica et, ut ita

1. Patin, *Trag. grecs,* t. III, p. 291 : « *La situation des deux Andromaques, d'Euripide et de Virgile, est absolument la même ;* » p. 293 : « *Les vers de Virgile sont comme l'analyse et l'argument de la pièce d'Euripide.* » Censet idem Kvičala, *Erklärung,* p. 55.

2. *Androm.,* 1243 sqq.

3. Cf. de levibus istis differentiis, Kvičala, *Erklärung,* p. 55. In *Aen.* III, 333, verisimilem conjecturam Kvičala proponit : « Morte Neoptolemi regnorum *credita* cessit Pars Heleno. »

4. *Aen.* III, 323; Eurip., *Troad.*, 240 sqq. 274 ; Proclus, *Chrestom.* (*Didot,* p. 584a) ; Tzetzes in Lycophr., 1263 ; Justin., XVII, iii.

dicam, ἀρχαιολογικὰ additamenta a Varrone Vergilius accepisse videtur[1].

Num vero a quo de Andromachae vita et fatis res ipsas mutuabatur integras, affectus quoque et ingenium feminae ex toto et sine ulla commutatione assumpsit? Pertritum hunc locum atque a multis inter recentiores criticis subtiliter tractatum, liceat tamen mihi instaurare, quia primo non consenserunt omnes de iis quae inter Euripidem et Vergilium, et inter utrumque atque Homerum intercedant[2]; — quia praesertim plerique Andromacham illam a Vergilio correctam et refectam levius justo praetermisisse mihi videntur, quasi dedignati, nec satis intellexisse quam vere Vergiliana sit.

II

DE EURIPIDEA ANDROMACHA

Euripideam igitur primum Andromacham accuratius introspicere libet, qualem se in *Troadibus* et in *Andromacha* uxorem, qualem matrem exhibeat.

Captivarum autem Trojanarum spectaculum in *Troadibus* nobis proponitur. Quarum in maesta caterva primas, post Hecubam, partes agit Andromacha. Quae quidem sufficiente sane et decente cum dolore Hectoris recordari videtur. Secum enim in Achaeorum terram Hectorea arma ablatura est[3], in quibus insidet, quasi haereat; Hectoris praeclara facinora libenter venditat[4]; Hectorem licet mortuum in auxilium sui vocat[5]. Attamen non eo amore inflammatur, neque eo dolore conficitur, quo tali tempore paulo post mortuum Hectorem dirutumque Ilium etiamtum inflammari et confici consentaneum sit.

1. Cf. Varronem apud Servium, *in Aen.* III, 256, 349; Dion. Halicarn. I, 51.
2. Cf. varias quae infra rettuli criticorum opiniones.
3. *Troad.*, 573-574.
4. *Troad.*, 606-607.
5. *Troad.*, 587.

Quemvis enim a tanto vulnere recentem ingenti quadam desperatione vitaeque taedio affici adeo naturae congruum nobis videtur ut aliter fieri posse non animo concipiamus. Illud biblicum : « noluit consolari » ita convenire hominibus nimia aliqua calamitate afflictis opinamur, ut facile vel iis ignoscamus qui « dimidiam animae » suae partem sibi abreptam putantes, « lucem perosi » sunt, quasi amissis jam omnibus diutius vivendi causis.

Non quod Euripidem reprehendam qui Andromacham sibi mortem consciscentem in *Troadibus* non induxerit[1]; satis superque perspicuum est traditam eum sibi famam projicere non debuisse. Illud demum miror quod ei ne cogitationem quidem voluntariae mortis indiderit. Etenim non sane ad extrema confugere Andromacha potuit, dum supererat filius, cujus sola tutela relinquebatur; exstincto vero Astyanacte, cujus tantummodo causa vitam amplectebatur, id adeo miror quod mortem non aliqua via quaerat aut saltem vehementius exoptet... Scio equidem Polyxenae eam invidere[2], reliquis, quae Troadas maneant, calamitatibus opportune ereptae; sed quam frigida dissertatione felicitatem mortis illius laudat! Non ille est Didonis, in minore tamen aerumna, impetus, non illa violenta jam invisae lucis fuga, non illa quasi avida mortis cupiditas! Neque objicias non conceptos fuisse a graecis hos sensus poetis; nam, ne aliunde exempla arcessam, in ejusdem Euripidis *Supplicibus mulieribus*, Evadne, Capanei uxor, defuncti mariti rogum vult conscendere cum istis verbis : « Suave cum amato mortis consortium est[3]. »

Immo quando in eadem fabula certior Andromacha facta est damnatum a Graecis Astyanactem jamjam in eo esse ut pereat, primum quidem justis et exspectatis querelis indulget, sed paulo post suadente Talthybio ne Graecorum

1. Infrequenter sibi mortem conscivisse antiquos bene observat Saint-Marc Girardin, *Cours de littér. dram.*, I, p. 79-81.
2. *Troad.*, 626 sqq. 678.
3. *Suppl.*, v. 990-1030.

iram praeposteris maledictis in se concitet, tacet Andromacha[1]. Cum idonea illi oppetendae mortis occasio, nisi Graecorum imperiis pareat, oblata sit, paret. Polyxenae nuper invidebat; Polyxenae fatum ne mereatur, cavet. Unde vere conjici possit illam vel in summo illo doloris articulo non multum ab Hecuba dissentire, cum Priami senex uxor, in tanta orbitate nihilominus sapiens, miserrimam etiam vitam maturatae morti praeferendam esse declarat[2]... Tantam quidem grandaevae mulieris sapientiam, quanquam paulo nimium humilem et abjectam, non stupemus, illud utrumque reputantes, eo magis saepe adhaerere vitae senes, quo propiores morti sint, eosdemque aliquando, cum multis et humanum modum excedentibus aerumnis quasi depressi atque attriti jaceant, ad supervenientes dolores indurescere. Juniorem vero esse judicamus viduam Hectoris uxorem quam ut omnibus suorum cadaveribus circumdata tantas calamitates tam aequo animo ferat.

Qua quidem praecoci rerum prudentia Euripideae Andromachae in defunctum conjugem caritas nonnihil imminui videtur, idque in ipsis *Troadibus,* scilicet prius etiam quam de patrio solo uxor Hectoris excesserit. « Hectorem deflere desinas, — inquit ei Hecuba ; — quippe quem non ullae revocaturae sint lacrimae[3]. » Cujus autem consilio Andromacha mox obsequitur, futurorumque nimis cito, ut videtur, provida, jam tum se interrogat qualem se erga Neoptolemum praebere debeat, quem amare non deceat, odisse vero non prosit[4].

Quo autem modo difficilem rem istam expedierit, e fabula, cui nomen ejus ipsius inscribitur, comperimus. Neque inique tolerare conubium Andromacha videtur coactum. Querentem certe nunquam eam audimus, vel prioris conjugii inconsolabile desiderium significantem. Hecubae vero

1. *Troad.*, 729-774.
2. *Troad.*, 627-628.
3. *Troad.*, 690 sqq.
4. *Troad.*, 656 sqq.; Κεὶ μὲν παρώσασ' Ἕκτορος φίλον κάρα, etc.

praeceptorum optime memor, « gratas morum suorum illecebras » alteri marito, sicut priori, tantummodo exhibere curat. Eamdem profecto vitae rationem Neoptolemi quam Hectoris conjux[1] tenet : domiseda[2] scilicet ipsa, ceteras mulieres janua sua prohibet[3] ; tum conversanti marito γλώσσης τε σιγὴν ὄμμα θ' ἥσυχον praebet ; neque in quibus mulieri cedendum est, dominum vincere affectat[4], neque contradicit ; neque praepostera superbia praesentisve vitae fastidio aut contumeliosa prioris condicionis jactatione eum irritat. Quibus quidem in omnibus laudanda prorsus ; sed in ista modestia paulo plus aequo delectatur sibique placet[5]. Non enim tantummodo de jussis illis et quodammodo flagitiosis cum Achillis filio nuptiis sine verecundia loquitur[6] ; sed et partam sibi apud novum conjugem gratiam non sine superbia venditat. Immo eam aegre ferre dicas quod sibi aliquando Hermiona anteposita sit[7] ; nonne gaudere potius deceat, quasi liberatam? Non ea profecto femina est quam « novo marito una nox reconciliet[8], » (absit ut credamus !) neque sponte Neoptolemi cubile ingressa est ; non tamen a se discedere eumdem laetatur. Hermionae contra nimis succenset ; conviciante in se Helenae filia[9], non illam tristitiam, non illum contemptum, non silentium illud Euripidea Andromacha prae se fert, quae adsidue dolentem deceant ; sed ipsa par pari refert. Nempe illi cordi nimium est Hermionae aemulatio et odium ; nimium istis curis tangitur : « Cur me lucem, ait, adspicere oportuit factam Her-

1. Se enim ipsam δάμαρτα Neoptolemi jam in Troadibus appellat.
2. Cf. *Iliad.*, VI, 370-372 ; VIII, 187-190 ; XXII, 440 sqq.
3. *Troad.*, 630-650. — Cf. Plutarchi *Conjugii praecepta* ubi perfecta uxoris species copiose describitur.
4. *Androm.*, 209 sqq., 226 sqq.
5. *Androm.*, 204, 205 sqq. — Chateaubriand Euripideam Andromacham vehementer incusare non dubitat : « ... *Caractère rampant et ambitieux.* »
6. *Androm.*, 24. — Κἀγὼ δόμοις τοῖσδ' ἄρσεν' ἐντίκτω κόρον

Πλαθεῖσ' Ἀχιλλέως παιδί...

7. *Androm.*, 30 : τοὐμὸν παρώσας δεσπότης δοῦλον λέχος.
8. *Troad.*, 660 sqq.
9. *Androm.*, 165-178.

mionae servam [1]? » Illud potius probarem : « Cur me lucem adspicere, Hectore conjuge orbatam, oportuit [2]? » — « Utinam pereat dies, inquit in *Odyssea* Penelopa, ubi novum secutura sim conjugem ! » Non dixerat Andromacha in *Troadibus*, nec susurrat quidem in altera Euripidis tragoedia : « Utinam periisset dies ubi victoris servi cubile invita ingressa sum [3] ! » Non ideo sane amat Achillis filium ; — negat enim et neganti credo [4] ; — sed quasi amaret mire agit [5]. Hectoris idcirco non obliviscitur : non satis tamen meminit [6] ; et quando meminit, ita videtur meminisse ut suam ipsius praeteritam potius aerumnam quam triste exstincti mariti fatum miserari videatur [7] ; necnon eorum quoque meminit interdum, quorum eam oblivisci malimus (quod scilicet maritalem fidem non semper retinuerit Hector [8]). Quippe quae inanibus semper querelis, et nunc et olim, abstinuit ; tacito praeteritae condicionis desiderio apertum de praesente gaudium commiscet : mulier nempe fortis placidaque et fuit et est, atque, ut dicit Hermiona, σοφή [9]... Siccine vero viduam Hectoris uxorem adumbrasset vetus ille vates qui Andromachae et Hectoris ad Scaeas portas colloquium excogitavit ?

1. *Androm.*, 113.
2. Cf. *Iliad.*, VI, 410 sqq. — Euripideae contra Andromachae vitam semper esse cordi testantur vv. *Androm.* 319-363, 384-397, 404, 750-756.
3. *Troad.*, 660 sqq., 668 sqq. — *Androm.*, 35 sqq.
4. Quamvis a Pyrrho derelictae, tamen Andromachae auctoritatem magnam apud eum esse omnes persuasum habent. Cf. *Androm.*, 961-962, 1057, 1059.
5. *Androm.*, 96 sqq., 111 sqq. Hectoris non seorsim ac peculiariter meminit, sed una cum aliis multis. Cf. tamen in Iliade, qua vehementia Andromacha mortui Hectoris miserandam sortem sibi ipsa fingat, XXII, 508 sqq.
6. *Androm.*, 107 : καὶ τὸν ἐμὸν μελέας πόσιν Ἕκτορα.
In Iliade quidem, XXII, 481, deplorat quoque Andromacha se natam esse, sed in eodem loco Hectorem quoque tantis aerumnis et ipsum afflictum et fatalis uxoris suae miseriae participem dolet. *Ibid.*, 477 sqq.
7. *Androm.*, 215-218, 221-225 : ὦ φίλταθ' Ἕκτορ,... εἴ τί σε σφάλλοι Κύπρις, κ. τ. λ.
8. *Androm.*, 245. Cf. *Troad.*, 646 : τὸν δὲ νοῦν διδάσκαλον

οἴκοθεν ἔχουσα.

9. Non igitur recte mihi videtur Patin, *Tragiques grecs*, *Eurip.*, I, 351, de *Troadibus* loqui : « *Ici se montre dans son idéale beauté ce type de tendresse, de pureté conjugale qu'Euripide avait emprunté d'Homère.* »

Verum quo minor est Euripideae Andromachae caritas in conjugem, quam homericae, tanto major in filium caritas ; eaque altera causa est quae uxorium ejus amorem imminuat. Namque primum ingenue confitetur Andromacha, minori sibi illud esse curae, quod cum Neoptolemo hoste, victore, mariti denique sui interfectore jungi debeat, quam quod filius amittendus sit [1]. Disparem contra esse calamitatem utramque judicat, eique videtur haec illam multo superare.

Immo in *Troadibus* quoque notandum est, Andromacham adeo filii sui amore ardere, ut paene eam paeniteat quod e tali patre sit ortus [2]. Etenim nisi adeo strenuus fuisset Hector, tantasque edidisset Achaeorum strages, incolumis Astyanax cum secura matre abduceretur in captivitatem ; nunc vero Hectorea invidia flagrat paternaeque virtutis dat poenas : quod quidem animo Andromacha revolvens eo adducitur ut paene exclamet : « Utinam Hectori nunquam nupsissem !... »

Quo denique artificio in *Andromacha* fabula Euripides significaverit, maternum amorem huic feminae altissimis quasi radicibus insitum esse, satis notum est. Quippe quam cum filium ex Pyrrho sustulisse secundum antiquiores fabulas confinxerit, adeo unice ab ea illum diligi facit ut Astyanactis nunquam reminiscatur, ne tunc quidem, — animadversione prorsus dignissimum, — cum et Molossum rursus in simili periculo versari videt ubi olim Astyanax perierit [3] ; — neque tamen in hoc Molossi periculo dubitet, absente Neoptolemo, Hectorem defunctum in auxilium alienae subolis advocare [4].

Sive igitur Euripides repetitam ab homerica *Iliade* per-

1. *Troad.*, 715 : οἴμοι γάμων τόδ' ὡς κλύω μεῖζον κακόν. — Si superesset filius, de novo suo conjugio tantum non laetaretur. Cf. 773.
2. *Troad.*, 737 sqq. — 740. Ὦ λέκτρα τἀμὰ δυστυχῆ τε καὶ γάμοι
Οἷς ἦλθον ἐς μέλαθρον Ἕκτορός ποτε — Cf. 747 sqq. — Quod in Iliade jam indicatum fateor : XXII, 485-486, XXIV, 735-742, sed longe abest ut homerica Andromacha cum Hectore non nupsisse cupiat, funestasque sibi prolique suae nuptias desideret. Nimius in hoc mihi videtur Courdaveaux, *Eschyle*, *Xénophon*, *Virgile*, p. 340.
3. *Androm.*, 455 sqq., 510 sqq.
4. *Androm.*, 523.

sonam[1] ita commutare aequum censuit ut aequalium suorum moribus et opinionibus concineret; — sive, utpote proclivis objurgandae muliebris sexus indoli, « varium et mutabile semper » feminam demonstrare voluit; — vel denique in ea tragoedia, sicut et in multis aliis, philosophatus, animorumque humanorum affectus altius scrutatus, maternum amorem apud mulieres quasi inconsultum quemdam et bestialem impetum ceteris omnibus affectibus, vel exstinctis per aetatem, vel imminutis, superesse probavit[2]; — utique non ineptum est animadvertere quanto se minus conjugis quam filii amantem Euripidea Andromacha exhibeat[3].

III

DE VERGILIANA ANDROMACHA CUM EURIPIDEA COLLATA

Quanquam autem ab Euripide Vergilius res quae ad Andromacham pertinent mutuatus est, nec quidquam ferme ex iis detrahit, vel iis addit, multum tamen abest ut Vergiliana Euripideae similes sensus prae se ferat Andromacha.

Neque indignum mihi notatu videtur qua scilicet ratione quibusque artificiis Aeneidis auctor illud sit assecutus.

1. Homericae Andromachae in conjugem amor eminet e versibus IL. VI, 372-373, 389, 412, 430, 496, 500; XXIV, 725, 745. — Cf. SAINT-MARC GIRARDIN, *Cours de Littér. dramat.*, t. IV, 261, et CROISET, *Littér. grecque*, I, 246, 247. — Subtilius quam verius, ut opinor, COURDAVEAUX (*op. cit.*, p. 338 sqq.) Homericae Andromachae amorem in conjugem suum demonstrare contendit, nihil aliud esse quam sui ipsius amorem. — Cf. de Andromachae φιλανδρίᾳ, MAXIMUM TYRIUM, *Dissert.*, ed. REISKE (*Didot*); diss. XXIV, p. 99 et 157.

2. Recte observat SAINT-MARC GIRARDIN : « *Euripide... semble avoir voulu ôter à Andromaque tout ce qui était étranger au sentiment de l'amour maternel, afin qu'elle ne représentât plus que ce sentiment,* » sed perperam adjicit : « *et afin qu'elle en fût le plus pur et le plus parfait modèle.* » *Cours de Littér. dram.*, I, p. 295.

3. Uxoris erga maritum amorem minorem fuisse apud antiquos quam apud recentiores ex aliis locis colligere forsitan licet. Penelopae ipsius multo minor, aut certe multo minus tenera, in conjugem caritas est quam Andromachae. — Cf. PATIN, *Tragiques grecs*, t. II, p. 275, de *Antigona;* t. IV, 901 sqq. Cf. HEROD., III, 19; PLUT., *de fraterno amore,* II; ARIST., *Rhet.,* III, 16.

Primum equidem observo nomen illud Hectoris, quod diligentius ab Euripide removetur, a Vergilio contra saepius accitum revocari. Nam et initio nobis Andromacha

> ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam

« *cineri* libans » ostenditur. Hoc autem ipsum quod non dicit poeta *cujus* cineri libet, legentes inducit et quasi cogit ut, se ipsos interrogantes, Hectoris reminiscantur[1]. Ceterum in insequenti versu explanat et ipse Vergilius:

> ..... Manesque vocabat
> *Hectoreum* ad tumulum[2].

Iterum deinde in iis, quae prima profert Andromacha, verbis nominatur Hector:

> Vivisne? Aut si lux alma recessit
> *Hector* ubi est?

Tunc vero quasi caro illo et venerabili nomine, quod secum tacite tantummodo repetere dudum solita est, nunc primum alta voce emisso, quasi sopitus Andromachae dolor experrectus sit,

> lacrimas effudit, et omnem
> Implevit clamore locum.

Tum ab Aenea loquente « Hector » tertio inducitur; qui etsi jam antea, nuntiante fama, cognoverit Neoptolemi conjugem factam esse Andromacham, nuperque etiam certior factus sit Heleno eamdem in matrimonium cessisse, eam tamen *Hectoris* Andromacham[3] appellat.

1. « Non dixit cujus, sed exin latius intelligitur. » SERVIUS.

2. Male tamen, si PEERLKAMP audiendus sit : « Mallem,-inquit enim ille,-vocabulis transpositis : *Libabat cineri* Hectoreo *Manesque vocabat* Andromache *ad tumulum...* Verus autem Hectoris tumulus erat apud Trojam. » Nihil vero est quo conjectura ista innitatur lectio.

3. Cum LADEWIG, HENRY, CONINGTON, BENOIST lectioni : « Hectoris Andromachen?» plane adsentior. De hoc loco disceptato, v. PEERLKAMP HENRY, FORBIGER, in. h. versum.

Andromachae vero in secundis verbis bis redit Hectoris nomen ; quod quidem primum quasi clausula responsioni ejus ad Aeneam imponitur :

Quid puer Ascanius?...
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat *Hector ?*

Sic autem monemur quam vivida usque foveatur ab illa prioris mariti admiratio ; atque hic, honoris, ut ita dicam, causa mentionem Aeneae facit, ac forsitan consulto ultimum nominat Hectorem, summum tanquam et perfectum bellicae fortitudinis exemplar.

Quando denique Aeneae Andromacha digredienti valedicit, tunc quoque illam se ipsam appellare « conjugem hectoream », praesente Heleno, Vergilius facit : quo apertius etiam significetur eam duorum, quae postea « pertulit », conubiorum quasi oblivisci velle[1].

Sed ea ipsa omnia Vergilio satis esse non videntur. Ut odiosas nuptias illas, quas ab antiquis omnibus traditas[2] omittere nequibat, oblinat saltem, quantum fieri potest, et oblitteret, iterum atque iterum curat. Atque in hoc videre est quantum ab Euripide discedat. Cum enim apud graecum poetam Andromacha « sortitum » illum, quo Neoptolemo concubina destinata fuit, « conjugium » vocare nunquam omittat, pulchroque nomine miseriam suam praetegere amet, — apud Vergilium contra nullo modo dissimulare nititur[3] probrosi hujus servitii decus :

Victoris *heri tetigit captiva cubile.*

1. *Aen.* III, 487.
2. Cf. Klügmann, apud Roscher, t. I, col. 344-345. — Narrat quidem Dares Phrygius (xli-xliv) Andromacham, in libertatem post captam Trojam Agamemnonis beneficio vindicatam, cum Heleno Chersonnesum petisse ; ejusque cum Pyrrho matrimonium omnino praetermittit ; sed illud a recentioribus, Vergilianae Andromachae pudicitiam respicientibus, excogitatum verisimile est.
3. Quanquam Aeneas v. 319 *conubia* dixit εὐφημίσας. Immo Peerlkamp in hoc versu — (quem sic statuebat : quae digna satis fortuna revisit

Hectoris Andromachen ? Pyrrhin conubia servam ?) —

somniavit, ut videtur, gratulari Aeneam, quasi de « felice eventu », Andromachae : « Verumne est quod narratur, nam vix credere potui ? Servaene obtigit conjugium Pyrrhi ? » Perspicuum est ibi ab Aenea interrogari Andromacham an vera sit illa « incredibilis fama » de qua supra vv. 294-297 nuntiatum est. Neque non in hoc loco paulum immorari operae pretium est, in quo nunc etiam haerere, illudque plus justo, commentatores quosdam video, neque tamen idem sentire. Sensus est hic : « Heu ! postquam amisisti conjugem illum, qui tantus esset heros, in qua nunc miseria jaces, aut, siquidem hodie (ut jam audivi) meliore condicione uteris, quae fortuna satis digna te Hectoris uxorem revisit ? Utrum, necne, Pyrrhi adhuc conjux es ? »

Cum in Euripideis fabulis Andromacha « victori hero » nihil maledicat, apud Vergilium contra suum illa in Neoptolemum odium, quamvis decenter, expromit :

Stirpis Achilleae fastus juvenemque superbum...

quibus quidem vocabulis per ellipsin et quasi sub velo quodam Vergilius intellectum nobis facit additicium illud flagitium : scilicet aetate jam provectam mulierem junioris et trucis herois libidini quasi praedam fuisse traditam, et amplexibus quodammodo foedatam. Liceat enim, quaeso, singulis Vergilii verbis animum advertere ; sub quorum unoquoque, nisi fallor, sensus latet quem erui prodest ; et hae sunt arcanae summae poeseos illecebrae.

Vidimus quoque Euripideam Andromacham miro, immo nimio amore complexam nothum illum quem de Neoptolemo genuit[1]... Vergilius contra eumdem[2] Andromachae suae aut plane invisum, aut saltem quam minimae curae fuisse tacite nos docet his verbis :

Servitio enixae tulimus...[3]

quibus amplificatur, ut ita dicam, et exaggeratur partus

1. Cf. Eurip., *Androm.*, 25-26, 45-55, 67, 79, 406, 411, 441.
2. Plures etiam genuisse Neoptolemo filios Lysimachus historicus tradiderat. (V. *Fragm. hist. graec.*, t. III, p. 338, fr. 13, cum commentario Caroli Muelleri.)
3. Servii et plerorumque criticorum lectionem et interpretationem de verbo « *enixae* » sequor. Perperam Fabricius et Jahn explanant : « semper enitentes ut servitio exiremus. » Nec magis Nonio et Vossio assentior « labore exercitae » interpretantibus ; neque Kvičala recte : « *Enixe*, cum nisu, cum studio. » Ipse ille ceterum addit : « *Sollte man nun aber einwenden, das vielleicht der Ausdruck des Eifers und der Dienstbeflissenheit hier nicht am Platze ist ; so würde darauf erwidert werden konnen, dass eben dies die Sklaverei der Andromache zu einer traurigen wachte, dass sie eifrig und bereitwillig den hochmüthigen und verhassten Feinde dienen müsste.* »

istius dolor, quo dignitas Andromachae magis etiam cruciata fuit quam corpus dilaceratum. Dicunt quidem matrum ex animis excidere solere, paulo post partum, pariendi molestiam : cujus tamen oblitam fuisse Molossi matrem Vergilius acutissime noluit[1].

Apud Euripidem aegre pati videtur Neoptolemi captiva quod Hermionam, se ipsa derelicta, anteponere inceperit, aut saltem ne sibi noceat ista domini sui alienatio valde metuit; — Vergilius vero eamdem rem ita narrat, ut potius recreata exonerataque fuisse videatur, cum tandem Pyrrhus

> Ledaeam Hermionem Lacedaemoniosque hymenaeos

secutus est.

Denique apud Euripidem, sub finem *Andromachae* tragoediae[2], Hectoris uxori viduae promittitur, quasi antecedentis servitutis solacium ac merces, trojani Heleni conjugium... Vergiliana vero Andromacha non reticet (adeo tamen ne quid in Helenum contumeliosius emittat) tertium illud « conjugium » sibi nihil aliud videri quam novam aliquam, atque vix minus turpem, continuatae servitutis aerumnam :

> Me *famulo famulamque* Heleno *transmisit habendam*[3].

Neque tamen minus ex Aeneide quam ex Euripidis fabulis eminet materna illa caritas cujus inde ab Homero quasi exemplar proponi Andromacham quodammodo necesse est[4]. Sed de Astyanacte semper mentio fit apud

1. Patin, *Trag. grecs*, III, p. 291 : « *L'Andromaque latine n'a fait que traverser la servitude et ses outrages,* » etc.
2. *Androm.*, 1243 sqq.
3. Parva cum felicitate Peerlkamp : « Me famulo *subolemque!* » — Filii quoque, cui nomen Cestrinus, quem ex Heleno Andromacha peperisse dicebatur (cf. Pausan., l. I, ch. xi), nulla fit in Aeneide mentio. — Cujus ego versus vulgatam lectionem accepi : antiquam tamen lectionem, quam quidem pauci neque optimi codices praebent, desidero : « Me famulam famuloque... » quod laesae « dejectae » reginae dignitati magis, ut opinor, conveniat.
4. Apud Tzetzem (*Homerica*, 317 sqq.) duos ex Hectore filios, cum Astyanacte Laodamum, Andromacha peperisse dicitur.

Vergilium, nunquam vero de Molosso, qui ne nominatur quidem a poeta.

Num autem oportet inclitissimi apud Gallos hoc ineunte saeculo scriptoris[1] refelli opinionem, qui Vergilio hoc objicit quod Andromacha subito occurrenti Aeneae non dicat : « Astyanax, ubi est?... », sed « Hector, ubi est?... », quasi sic illa fateretur parva se caritate exstinctum filium prosequi[2]? Nonne contra meliore jure reprehendi potuisset, si prius de filio quam de conjuge percontaretur? Ille vero conjugis amor materno non nocet amori : alter tantummodo altero prior expromitur. Atqui ex illis « geminis aris », quas « Hectoreum ad tumulum » sacravit Andromacha, unam Astyanactis Manibus dicatam credere quis vetat? Versum enim istum, de quo disceptatur, sic explanari posse arbitror. Nempe nonne idcirco « *geminas* aras *causam lacrimis*[3] » esse ait poeta, quod « geminae » sunt, duplicisque duplex luctus monumentum?

Sed ne hac quidem interpretatione opus est ut maternos Andromachae sensus fideliter a Vergilio retentos, accurate illustratos confirmem. Nonne enim illud memoris et vere maternae caritatis testimonium est, quod videlicet Andromacha Aeneam interrogat[4] :

> Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?

Neque vero sicca tantummodo et, ut ita dicam, incor-

1. *Génie du Christianisme,* p. II, l. II, ch. vi.
2. Saint-Marc Girardin contra (*Cours de Litt. dram.*) quando de uxorum caritate erga maritos disserit, Andromacham omittit. — Patin, *Trag. grecs*, t. III, 292, eidem opinioni quam ego, patrocinatur.
3. Henry interpretatur (*Aeneidea,* II, p. 409) : « *Causam lacrymis : provocative to tears: to which she may come in order to enjoy the luxury of tears;* » nimis, credo, subtilem interpretationem. — De diversa hujus loci interpretatione, vide Peerlkamp et Forbiger. — Ego autem sensum illum sequor quem priorem Servius, unicum Heyne, Wagner, proposuerunt.
4. Attamen vv. 339-343 Peerlkamp spurios censet, « hac causa satis levi, inquit rectissime Forbiger, adjecta : « Non decebat Andromacham quaerere viverentne Ascanius et Creusa, ne si mortui essent, dolorem Aeneae suscitaret. » — Multo melius Heyne : « Haec affectus muliebris plena et Andromaches ingenio consentanea. » — Haupt, Gossrau, Guthling uncis includunt hunc locum, exceptis modo primis v. 339 verbis : *Quid puer Ascanius?* modo toto versu 339.

poralis Astyanactis memoria sub pectore Andromachae manet, sed et vivit imago quam praesens instauratam quasi refovet Ascanius :

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo [1].

Maternam igitur quam libenter dixerim Andromachae famam non minus bene quam Euripides servavit et ipse Vergilius ; conjugis vero amantis laudem melius profecto tuitus est ; adeoque utrumque affectum illi insitum temperavit [2] et alterum altero tanquam libravit, ut Homericam Andromacham, quae maritum filiumque amore complectitur pari, felicius, ut opinor, Latinus quam Graecus poeta expresserit [3].

IV

DE VERGILIANA ANDROMACHA CUM HOMERICA COMPARATA

Quanquam et ab homerica ipsa nonnihil, vel leviter, disparem se nobis Andromacha, qualem informavit Vergilius, praebet.

Eo primum nempe dispar, quod augustius illi et grandius aliquid inest [4]. Quam asperi vilesque captivas Trojanas manerent labores, suus Andromachae in Iliade conjux portendit :

1. Jam in secundo Aeneidis libro, v. 453-457, Vergilius maternas Andromachae, in quotidiano vitae usu, curas leviter attingit :

   Limen erat caecaeque fores et pervius usus
   Tectorum inter se Priami, postesque relicti
   A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
   Saepius Andromache ferre incomitata solebat
   Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat.

2. Non igitur recte SAINT-MARC GIRARDIN, *Cours de Litt. dram.*, I, p. 284 : « *Tous les autres poètes (à la suite d'Homère) l'ont pris des mains d'Homère tel qu'il l'avait créé, mais, dans ces poètes, le personnage d'Andromaque est devenu le type de l'amour maternel seulement.* » Excipiendus fuit Vergilius.
3. Cf. PATIN, *Tragiques grecs*, t. III, 288 ; COURDAVEAUX, *op. cit.*, p. 347-388.
4. Cf. PATIN, *Trag. grecs*, t. III, p. 291.

καί κεν ἐν Ἄργει ἐοῦσα πρὸς ἄλλης ἱστὸν ὑφαίνοις
καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηΐδος ἢ Ὑπερείης,
πόλλ' ἀεκαζομένη, κρατερὴ δ'ἐπικείσετ' ἀνάγκη [1].

Quam profecto necessitatem Vergilianam quoque Andromacham, dum serva Neoptolemi fuit, subiisse verisimile est ; neque tamen subiisse dicas, cum non inde ullam maculam aut quasi muneris ancillaris notam retinuerit.

Quae quidem Ascanio offert

picturatas auro subtemine vestes
Et Phrygiam chlamydem...
Textilibusque onerat donis...

« *manuum suarum* monumenta. » Linteum vero non ipsa texisse, sed « auro » tantummodo « pinxisse » putare volo [2]. Non is enim ejus habitus est, cujus manus solidam vulgaremque colum versare valeat; satis est si elegantiora tenuioraque opuscula interdum tractet, quorum in oblectatione Romanarum Vergilii aequalium matronarum vel delicatissimae consumere inertes horas solebant [3]. Adeo non in Aeneide reperimus simplicem illam et fere rusticam Eetionis filiam, cujus fratres « tardigrados boves » custodiebant, vel etiam modestam illam matremfamilias, quam ante Euripidem Homerus semper agentem, domesticisque curis intentam, intraque parietes remanentem, ingenue effinxit, — ut contra reginam vere se nunc Andromacha praestet, regiumque quiddam et habitus et verba redoleant [4]. Efficit autem hoc, ni fallor, tum dis-

1. *Il.* VI, 454, 465.
2. WAGNER (ed. min.) apud FORBIGER, p. 386, « textilia » tantum « dona » manuum Andromachis monumenta esse censet. « Praeter pretiosam illam chlamydem ex antiquis operibus sumptam, offert haec quoque dona textilia, per se quidem illis viliora, sed ipsius largientis manu facta. » Interpretor egomet, quasi Andromacha dicens : « Accipe *et* haec... », omnia dona vv. 483-485 enumerata cum magnificentioribus Heleni muneribus comparet. Cf. infra quomodo explanandum mihi videatur : « nec cedit honore. »
3. Cf. SUETON., *Octav.*, LXIV et TIBULL., I, 3, 85 apud FRIEDLAENDER, *Mœurs romaines, trad. fr.*, I, p. 346.
4. In *Aen.* II, v. 456, quasi mirum et insigne narrat Aeneas, Andromacham ad soceros et avum Astyanactem perduxisse « incomitatam. » In versu 484, si lectio (quae quidem optimorum manuscriptorum est) : « nec cedit *honori* » ad-

ponendorum verborum aequabilis illa et gravis ratio qua in hoc loco Vergilius utitur, tum usurpatorum ibidem vocabulorum ornatissimus delectus : quod utrumque vel et nobis etiamnunc perspicitur, quamvis hebetiores necessario nimiumque ignari existimatores latini sermonis simus[1].

Neque mirum si huic potissimum Andromachae infixos Racinius tenuerit oculos : paululum enim ei addendum vel mutandum superfuit, ut e latina Andromacha, tanta et corporis et orationis dignitate quasi induta, politissima deinceps illa « domina » evaderet cui gallicus Pyrrhus imperando servit.

Adde quod majorem Vergiliana Andromacha tristitiam prae se fert quam Homerica, utpote cui, conjuge filioque interfectis, gravissimi postea turpissimique incubuerint servitutis dolores. Quae sane infortunia jam in Iliade Andromacha quot et quanta futura sint anxia mente praecipit, futurasque, quibus reservatur, calamitates perspicaci animo auguratur[2] : subridet illa tamen inter ipsas lacrimas maestasque cogitationes ; bisque etiam subridet[3].

Noluit contra Vergilius quicquam ei superesse hilare. Vergiliana Andromacha, tametsi eam magis digna fortuna revisit, vitam, sicut onus sub quo defessa fatiscit, tolerare nobis videtur ; tristis adveniente Aenea[4], proficiscente

mittenda est, tum J. Henry forsitan adsentiendum existimem, ita intellegenti : « Andromache non paret regiae ac femineae decentiae, *à l'étiquette, au decorum.* — Sed potius cum Peerlkamp, Ribbeck et Benoist, recipienda lectio : « honore. » — Forbiger, Heyne, Wagner, aliique « honori » recipiunt, aliter tamen quam Henry interpretantes. — Jahn, etiam cum « honori, » sicuti Peerlkamp, Ribbeck et Benoist, interpretatur : « *Elle ne le cède pas en honneurs, en témoignages de considération et d'affection, à son mari.* »

1. Vide praesertim vv. 321-329, 337-343, ubi aptiore et quadrante magis compositione, atque adinstar oratoriae periodi sententia struitur, simul ac plenior sonat versus ipsius numerus, longioraque ponuntur verba, quorum etiam aliqua a solito usa remotiora sunt (superatne et *vescitur aura...*).

2. Nequicquam enim Hector ex ejus animo tristia praesagia excutere tentat (*Il.*, vi, 476 sqq.. — 484.). — Cf. 496, 500.

3. *Il.*, VI, 471, 483-484.

4. *Aen.*, III, 312-314. — In hoc loco rectissime Servius et Thiel haec verba « raris *turbatus* vocibus hisco » interpretantur, quasi Andromachae singultus et lamentationes sermonem Aeneae turbent et interpellent.

tristis apparet; eaque ipsa verba, quae illam eloqui poeta fingit, ita prorsus exquisita concinnavit ut subobscuro quodam languidoque colore nostri inficiantur oculi, et surdus nescio quis subaudiatur gemitus[1].

Potuit, volo, byzantinus monachus ille Tzetzes, qui praecipue graecos poetas legebat, Andromacham quamdam sibi fingere « vividam, genasque habentem ridentes[2]. » Nos vero Andromacham nobismet ipsis aliter repraesentare non possumus, nisi pallidam, lugubri veste indutam, emaciatam, demissis oculis, demissa voce. Atque ista flebilis, quae propagatur in aevum, imago, Vergilianae praesertim Andromachae[3] imago est.

1. Vid. praesertim *Aen.*, III, 320-324, 337-343, 485-491. Ad quod efficiendum incertior aliquando verbi cujusdam sensus confert : « et *longum* Andromachae testentur amorem. » — Quem quidem versum alio modo alii explanant.

2. Tzetzes (*Posthomerica,* 368-369) : Ἀνδρομάχη δ'ὡς αὔτως (i. e. ἥσυχος tanquam Hecuba) γοργὴ δ'ἦν, μεσοήλιξ,

Μάκροψις, χαρίεσσα, παρήϊα δ'εἶχε γελῶντα.

Cf. Isaacum Porphyrogenetum, in opusculo Περὶ τῶν καταλειφθέντων ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου, Polemonis *Declamationibus* ab H. Hinck editis adjuncto, p. 86.

Cf. de Andromachae tristi habitu, Ovidium, *A. am.*, III ; Pausaniam, l. X, c. 25, 9-10, et Daretem Phrygium, 12 : « Andromacham oculis claris, candidam, longam, formosam, modestam, sapientem, pudicam, blandam. » — Cf. de Andromachae in antiquis monumentis figura, Winckelmann, *Mon. ined.*, nos 135, 137, etc. ; Millin, clv ; Birch, *Ancient Pottery,* p. 268, 314, etc.

3. « Praesertim » inquam, quia jam in *Iliade* (XXII, 742, 745) quantus Andromachae dolor, quamque altus sit ac diu mansurus subindicatum est :

ἐμοὶ δὲ μάλιστα λελείψεται ἄλγεα λυγρά,
... νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

Vergilius perfecit imaginem ab Homero una tantummodo linea designatam.

CAPUT TERTIUM

De Didone cum similibus quae ab Homero, Euripide, Apollonio, Theocrito, Catullo descriptae fuerunt, personis comparata

I

Non ex uno poeta exempla in effingenda Didone Vergilius mutuatus est, sed e pluribus ea collegit quae in utilitatem suam verteret. Praeterea vel primo adspectu perspicuum est, quanto fusius Didonis amorem et casum quam Circae aut Calypsonis Homerus, vel Medeae Euripides et Apollonius, vel Simaethae Theocritus, vel Catullus Ariadnae descripserit. Quas ob causas paululum mutandum ordinem censeo, quem de Andromacha disserens servavi : evidentius enim, credo, apparebit quantum a prioribus, quos imitatus est, poetis Vergilius revera differat, si longam ejus et accuratam de Didone narrationem per Aeneidem secutus, in ipso itinere, ut ita dicam, quotienscumque se dabit occasio, indicavero, quid hinc aut illinc Vergilius decerpserit, quid sit rursus dedignatus, quid mutare, quid addere aequum censuerit.

II

QUANTUM, ET CUR TANTUM, IN AENEIDE PATEAT DE DIDONE ἐπεισόδιον ?

Illud primum in Aeneidis primo quartoque libro cuipiam facillime liquet, quantum loci explicandis Didonis amo-

ribus et aerumnis a poeta concedatur. Immo etiam vituperare Vergilium, quod nimis multus in eo tractando ἐπεισοδίῳ fuerit, nonnulli olim non dubitavere, quo tempore apud rei litterariae existimatores laus aptae compositionis pluris quam cetera fiebat[1].

Enimvero si quis expenderit qua ratione fabricata constet totius epici nostri poematis compages, is necessario fatebitur non tantum prodesse hanc narrationem quantum pateat[2].

Prodesset quidem illa magis, si magis graviter obstare Carthaginienses illecebras, quominus fata Aeneae impleantur, manifestior nobis fides fieret; — nempe si dux trojanus Didoni ipsum amanti atque ultro quaerenti initio reluctatus, tandem pari amore victus et ipse concederet; necnon et si majore Deorum nisu ac violentia deinceps opus esset, ut officii gloriaeque suae oblitus heros Didoni subtraheretur. Tum enim (sed tum demum) verum fuisse periculum Didonem credere possimus, neque contemnendum Aeneae Romaeque fatis impedimentum, si vivide illius amori, quanquam in partes diversas distractus, responderet Aeneas.

Istiusmodi vero certaminis nullum prorsus reperire est in Aeneae dictis aut gestis indicium, neque tunc cum ab amante Didone irretitur, neque postea quando proficiscens Deorum paret imperiis. Utraque in occasione lentum se praebet et inertem, et velut sui incuriosum, quasi de se non agatur. Quem quidem Carthagine mansisse nec pudet vel paenitet, nec multum piget abire. Se non minus aequo animo a Didone amari, a Diis amore Didonis vetari patitur.

Quo fit ut, quemadmodum in Aeneae vita ille amor res subsiciva et veluti obiter decerptum oblectamentum esse

1. Nimirum ut Vergilii copiam excusarent, demonstrare nonnulli voluerunt quartum librum poematis esse nodum. Cf. apud Catrou, *Virgile*, t. IV, 121. (Commentarius iste, licet aliquando risum moveat, laudandam tamen atque interdum etiam argutam diligentiam exhibet.)

2. « *La mort de Didon est stérile pour le reste du poème.* » Catrou, *Virgile*, t. IV, p. 121 sqq.

videtur, — ita et in poemate supervacaneum quoddam πάρεργον ejusdem amoris narratio necessario videatur. Hanc ob causam haud immerito miramur, si quando compositionis rationem strictius perpendimus, tam longam esse tantulae rei narrationem.

An vero melius contendi potest, tamdiu ante oculos legentium versari, volente poeta, Didonem, propterea quod Carthaginem condiderit, nimirum recordantibus Romanis non tam illius cum Aenea amorem, quam Carthaginis, a Didone ortae, longam cruentamque cum Urbe aemulationem?

Nobis sane non supersunt odia, quae vel etiam apud Augusti aequales Romanos se suscitaturum jure forsan sperare potuerit Vergilius; nihilominus tamen opinari licet, parum invidiosam fuisse aut detestandam vel Romanis patriae suae amantissimis lectoribus, illam quasi figuram Carthaginis quam in se misera atque amabilis Dido referebat... Si quid hujuscemodi Vergilius sibi revera proposuisset, supervacaneum merito diceremus quodcumque in primo, quarto sextoque libro nihil aliud quam legentium misericordiam Didoni conciliat; in quarto nempe libro, omnis Didonis vitam relicturae narratio redundaret, neque ulterius progredi liber iste deberet, postquam Dido Romae futurae diras precata est[1]. Non igitur Romanam (ut ita dicam) ob causam tam multus in Didone Vergilius fuit.

Neque enim ulla melior latius productae de Didonis rebus narrationis ratio reddi potest, quam si Vergilium putemus hujus personae descriptione sese ipsum oblectavisse. Num autem incredibile illud est? Nunquam desunt, ut opinor, inter fictarum rerum scriptores, qui, Pygmalionis instar, personas a se creatas vivido quodam amore complectantur. Sed neque desunt in Aeneide verba, Vergilium a Didone sua commotum et ipsum fuisse testantia, sive cum ejus culpam quasi coactam ac fatalem excusat,

1. Tunc autem circa versum 400 finis quarto libro imponendus fuit.

sive cum « infelicis » reginae, « miserae » Didonis sortem ultro ipse lamentatur[1].

Adjice quod et alibi libenter immoratum Vergilium animadvertamus, nempe quotienscumque ei praebetur dulciores animi teneriores que affectus describendi occasio. Utpote qui coactus sit ad narranda plerumque bellica viriliaque opera resque austeras, intermittendi itineris eae sunt illi pacatae quasi sessiones. Hoc esse causae existimo ut, incipiente praesertim poemate, cum nec tempus nec

1. *Aen.*, I, 712 : Praecipue *infelix*, pesti devota futurae
718-719..... inscia Dido
Insidat quantus *miserae* deus!
749 : *Infelix* Dido.....
IV, 65 : Heu! vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant?
94-95 : ..... magnum et memorabile nomen
Una dolo divum si femina victa duorum est?
291 : .... sese interea, quando *optima* Dido
Nesciat et tantos rumpi non speret amores...
298 : ..... Eadem *impia* Fama *furenti*
Detulit armari classem...
333 : Tandem *pauca* refert (Aeneas)
408 : Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus, etc.
412 : Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?
696 : Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed *misera* ante diem, subitoque accensa furore...

Necnon in *Aen.*, IV, 38 sqq., 325 sqq. revocantur eae civilis, ut ita dicam, utilitatis causae quas concepto erga Aeneam amori indulgendi Dido habuit. Cf. I, 339, 563.

Cf. in *Aen.*, IV, 493 sqq. « ... magicas *invitam* accingier artes. » Servius : « quia cum multa sacra Romani susciperent, semper magica damnarunt... ideo excusat. »

Isti quoque quinti libri ineuntis versus demonstrant intimo corde Vergilium favisse Didoni :

..... duri magno sed amores dolores
polluto, notumque furens quid femina possit
triste per augurium Teucrorum pectora ducunt. (V, 5-7).

Si quidem « *polluto* » vera lectio est (nec dubitandi locus est), quis non videt Vergilium ibi per quandam imprudentiam Aeneae ac Teucris sententiam suam ipsius attribuere, quibus quidem illa minime convenit? Didonem sane suum ab Aenea amorem *pollutum* dicere aequum est (cf. *Aen.*, IV, 376-380, 306, 307, 316, atque in h. l. Ladewig-Schaper; cf. etiam Conington in Aen. III, 61); Aeneam ipsum fateri non decet, se impium ac perfidum fuisse, sanctumque veri conjugii foedus violavisse. Quo tamen in verbo solus haesit, nisi fallor, Peerlkamp. Sed difficultas, quae illum non fugit, enodabitur, ut opinor, siquidem ista Vergilii voluntatis in Didonem prona magis quam in Aeneam inclinatio reputata fuerit. De qua infra amplius. — Vv. V, 1-7, deleri a G. Heidtmann monet Güthling; non tamen ipse delet neque uncis includit.

spatium deesset[1], in explicandis Didonis sensibus paulo plus aequo acquieverit.

III

DE DIDONIS INGENIO EJUSQUE IN AENEAM AMORIS ORIGINIBUS.

Quanta autem cum diligentia Vergilius amantis mulieris animum altissime, ut ita dicam, rimatus sit atque penitus effoderit, introspicere usque persequamur.

Primum autem patefiunt nobis ea omnia quae Didonem ad Aeneam amandum proclivem fecerint : ita prorsus vel jam in medio primo libro exposita ut nobis mores atque indoles Didonis prius etiam perspecta sint quam in scaenam regina ipsa prodeat.

Nam e Veneris ad filium verbis comperimus, Didonem ad amandum natura esse pronam. Sychaeum enim magno diligebat amore, multo desiderio prosecuta est. Quod quidem ut aperte ac distincte significetur, singularem sine dubio poeta consulto dedit operam[2] :

Huic conjux Sychaeus erat...
..... *magno* miserae *dilectus amore.*
Ille Sychaeum
Clam ferro incautum superat, securus *amorum*
Germanae ; factumque *diu celavit*, et *aegram*
Multa malus *simulans, vana spe lusit amantem.*

Nihil non his in versibus nobis monstrat quanto demersa luctu fuerit Dido, adeo ut et ipse Pygmalio crebris et excogitatis mendaciis ejus dolorem fallere et placare fuerit coactus.

Quo autem modo, occisi conjugis certior facta, ejusque

1. Nihil videtur prohibere quin credamus in primis fuisse compositum quartum Aeneidis librum. Cf. RIBBECK, *Prolegomena*, p. 59 ; SABBADINI, *Studi critici*. « Perfectus » saltem in primis fuit cum secundo sextoque. (SUETON., *Vita Verg.*, 31.)

2. *Aen.*, I, 342 sqq. Sic hos versus interpretatur P. CATROU, « *Didon est extrême dans ses attachements. Lorsqu'elle est encore à Tyr, l'inclination qu'elle a pour Sichée n'a point de limites ; elle est violente, elle est emportée, elle va jusqu'à la rendre malheureuse* : magno miserae dilectus amore. »

consiliis obsecuta, ultionem paret et exsequatur Dido, illud in antiquis fabulis fuse explicabatur, sicut e Justini, veteres historicos sequentis, compendio[1], in hoc tamen longiore, comperimus, sicut et Vergilius ipse monuit, dicens :

Longa est injuria, longae
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

Quae vero Vergilius « rerum » illarum « fastigia » esse judicaverit, quae ex antiquis fabulis ad Didonem pertinentibus extraxerit, vel rejecerit, propius observare expedit.

« Elissa, *diu* fratrem propter scelus aversata, *ad postremum* dissimulato odio, mitigatoque *interim* vultu, « fugam tacite molitur. »

Haec secundum priscas historias Justinus ; Vergilius vero abolendas esse moras tantas existimat, Didonemque statim ut a marito admonita fuerat, proficisci properavisse fingit : scilicet, ut opinor, ne videatur vividus minus ejus in amissum conjugem amor, neve minus admiratione digna feminae audacia, siquidem diutius cogitata circumspectaque fuisset. Eo spectabilior ejus fuit quo ad agendum promptior fortitudo.

Quae autem sequuntur in antiquis fabulis, ab eodem Justino traditis, legentes, vaferrimam et astutissimam Pygmalionis sororem creditam fuisse invenimus :

« ... Tunc fratrem *dolo aggreditur* ; *fingit se ad eum* « *migrare velle*, ne amplius ei mariti domus, cupidae « oblivionis, gravem luctus imaginem revocet ; nec ultro « amara admonitio oculis ejus occurrat. Non invitus « Pygmalion verba sororis audivit... sed Elissa ministros « migrationis a rege missos, navibus cum omnibus opibus « suis prima vespera imponit, provectaque in altum « compellit eos *onera arenae*, *pro pecunia*, *involucris* « *involuta* in mare dejicere. Tunc, *deflens ipsa lugubrique voce Acerbam ciet* ; orat ut libens opes suas reci-

1. XVIII, 4.

« piat, quas reliquerat, habeatque inferias quas habuerat « causas mortis. Tunc ipsos ministros aggreditur : sibi « quidem ait optatam olim mortem, sed illis acerbos « cruciatus et dira supplicia imminere, qui Acerbae opes, « quarum spe parricidium rex fecerat, avaritiae tyranni « subtraxerint. *Hoc metu omnibus injecto,* comites fugae « accipit[1]. »

Quae cuncta breviter contrahere non minus difficile Vergilio fuisset, quam illa ipsa quae memoranda elegit :

> Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni,
> Aut metus acer erat, etc.

Cur igitur ista omittenda censet, nec ullum in ejus narratione exstat vestigium istius, ut ita dicam, comoediae, qua usa Dido Pygmalionem primum, deinde eos ipsos fallit quos fugae comites destinabat, neque ulla fit Elissae mendaciorum et fraudis mentio? Nisi quia nihil Didonis fallaciae ac dissimulationi tribuere vult, verum totam illam esse sinceram et ingenuam, totam generosae indolis, nihil habere callidi et veteratorii, nihil « Punici ? »

Atqui non solum ex hoc quoque loco eminet ille favor quo Didonem Vergilius complecti mihi videtur[2] — (nam si quid ei dolosi poeta inesse voluisset, tanto magis excusandus, tanto minus odiosus visus fuisset eam derelinquens Aeneas), — sed etiam inde quasi oblique petitur alia quaedam praeparandi Didonis in Aeneam amoris ratio. Nempe illud quaerit Vergilius ut multo muliebrior sit, — si dixisse licet, — Dido sua quam fabulosa Dido, quo magis verisimilis videatur magisque vivide depingi possit ingens ille, quo in Aeneam rapitur, amor. Quaecumque igitur apud veteres historicos mulieris erant sexum nimium egredientis, neglegit; illa demum e tra-

1. Narrat idem auctor Didonem Cypri obiter quadraginta virgines abripuisse, et secum abduxisse, Tyriis suis nubendas. (XVIII, 5.) — Cf. de Astartes deae, quacum Dido a Carthaginiensibus confundebatur, Preller et Jordan, *Röm. Mythol.*, II, 406.

2. Cf. supra, p. 41, n. 1.

ditis retinet, quibus rara strenuaque Didonis virtus[1] excelsique ejus animi dotes illustrentur; nam et ea ipsa sunt quae aliquam vim habeant ut cito Aeneae Dido amore deflagret. Quippe quam Trojanos heroes admiratione et benevolentia ultro prosequi eo magis consonum futurum sit siquidem et ipsa heroicis vere virtutibus praedita apparuerit.

Ad quod tamen Aeneidos libri primi sequentia magis perspicue spectant.

Obstupere Didonem, et quodammodo offendi, et tantum non stomachari Vergilius facit[2], quod putare Ilioneus videatur, nomen fataque Trojanorum Punicae reginae non innotuisse :

> ... Tum breviter Dido, *vultum demissa*[3] profatur :
> ... *Quis* genus Aeneadum, quis Trojae *nesciat* urbem,
> Virtutesque virosque aut tanti incendia belli?
> *Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,*
> *nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.*

Jamdudum contra Trojanorum heroum facinora Dido cognovit, cum Sidone Teucri exsulis verba hauriret:

> Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
> Trojanae...
> Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat...

posteaque avida sine dubio excepit aure illos peregrinorum ἀοιδῶν cantus, Iliaci mirabilia belli totum per orbem

1. *Aen.*, I, 338, 364, 504, 507, 563, 628; IV, 39 sqq., 86 sqq. — Cf. Kvičala, *Vergil-Studien,* p. 105.

2. *Aen.* I, v. 561 sqq.

3. Cf. Forbiger i. h. l., et Kvičala, *Vergil-Studien,* p. 143-145, de variis verborum istorum interpretationibus; inter quas ingeniosissima, sed non maxime probabilis illa est, quam proposuit Weidner, scilicet ita significari nascentem Didonis amorem. Ego potius, cum Kvičala, explanationem ab ipso Vergilio suppeditari opinor:

> « Res dura, et regni novitas me talia cogunt
> Moliri... »

Metuit illa scilicet ne a Trojanis, sicut barbara regina quaedam, contemnatur. Cf. Latini regis verba VII, 195-196; — I, 535 sq., 542. Recte Donatus : « *Voltum demissa :* Non solum propter femineam verecundiam, sed etiam propter objecta » ab Ilioneo. — Cf. Ladewig-Schaper, in hunc locum.

vulgantium. Etenim in templi istius, quod primum Carthagine exstruxit, parietibus

> Iliacas *ex ordine* pugnas

insculpi voluit; quandoque posthac Trojanum hospitem interrogat, ea tantummodo percontatur de Trojanis heroibus quae, utpote minutissima, ignorare eam non dedeceret :

> Nunc quibus Aurorae venisset filius armis,
> Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles[1].

Forsitan et inter ceteros Trojanos bellatorem illum regina praecipue suspexerat cujus et origini et vitae arcanum quoddam inesset : Aeneam nempe illum, quem a mortali patre et a dea dearum pulcherrima ortum, Hector ipse veneraretur ut parem, quique vel nulli commilitonum audacia secundus, quodam tamen peculiari Deorum beneficio semper incolumis ad meliora fata reservari videretur. Suadet enim clanculo et oblique Vergilius ut conjiciamus Didoni incognitum Aeneam jampridem tamen ejus animum occupavisse[2].

Neque inconsulto, ut opinor, Didonem ubi primum oculis nostris poeta subjicit, solam esse finxit poeta inter multos viros mulierem :

> Regina ad templum forma pulcherrima Dido
> Incessit, magna juvenum[3] stipante caterva,...

1. *Aen.*, I, 751-752. — Heyne : « *quantus Achilles :* quam magnus corporis viribus et animi virtute. » Sic et male Conington. Rectius Henry, *Aeneidea*, I, p. 862, de *statura* Achillis agi putat, nonnullaque de illa veterum loca cum vergiliano verbo confert.

2. Neque inconsulto ab Ilioneo (I, 544-549) Aeneam tantis laudibus efferri Vergilius antea facit. — Aeneam omnibus satis cognitum esse Ilioneus credit (I, 544 sqq); neque immerito, quoniam et ipse vultus Aeneae in Carthaginis templo insculptus sit. Quod quidem, ut notat Conington, « *is perhaps a little remarkable.* »

3. Conington i. h. l. : « Weidner *supposes* juvenum *to be young women, which would help out the simile* (cum Diana) *but seems otherwise quite improbable. Elsewhere we hear of no female companions of hers except her sister.* » Sic Forbiger Burmanni conjecturam eamdem de puellis, vel saltem juvenibus utriusque sexus refutat, Gelliique (IX, 9) principes Tyrios intellegentis opinione nititur.

quanquam Diana, quacum eodem in loco comparatur, nymphis circumdata est[1] :

> quam mille secutae
> Hinc atque hinc glomerantur Oreades...

Displicuit autem olim quibusdam quod Didoni nullam adstare feminam Vergilius finxisset : quoniam enim Carthagini vix conditae theatrum latinus poeta impertit, cur non optimates quoque matronas, tanquam amicas et ancillas, Elissae dedit? Neque enim gravius hoc illo fuisset adversus rerum praeteritarum veritatem peccatum.

Verum — (si quid modo in hoc Vergilius haesisse putandus sit), — nonne artificiosius fuit solam[2] hoc in loco nobis Didonem repraesentari, obscurorum militum caterva cinctam quorum nullius prorsus meminit poeta, nisi Bitiae, strenui sane, rusticioris vero ducis, qui « impigre » poculum haurire solet? Oblectamentis illis, quae e muliebri coetu petuntur, privata Dido est, privarique dolet[3]. Delicatam enim teneramque animi excultamque ingenii mulierem barbarae inter duros commilitones vitae taedium subire par est, neque parvum solitudo incitamentum ad amorem afferre solet[4].

Illud quoque docte notatum fuit, in hoc etiam claudicare Didonis cum Diana comparationem[5], quod virgo Diana sit, Dido vero nupta fuerit... Sed et illud ipsum consideratum meditatumque Vergilio fuisse conjicere non absurdum est. Cum enim coelestem venatricem cum au-

1. Gruppe (*Minos*, p. 213) non aliam causam affert rejiciendi octo illos versus (498-505) quam hujusce comparationis claudicationem.

2. Cf. infra de illo, quo Vergilius Didonem affici fecit, « solitudinis » quasi metu.

3. Ingeniose Henry, *Aeneidea*, I, 850-851, de cantu Iopae in Didonis convivio : « *The calm and philosophical subject of Iopas' song contrasts finely with the subsequent romantic and exciting narrative of Aeneas. In this respect, as in so many others, Virgil has improved upon his master (Homer) who making his minstrel sing and his hero tell similarly romantic stories, loses the advantage of contrast.* »

4. Cf. *Aen.*, IV, 466-467, 551 et infra pp. 51-52.

5. Cf. ea quae apud Forbiger, in *Aen.*, I, 499, Conington, *ibid.*, 498, aliosque commentatores citantur.

gusta Carthaginiensium regina, gravissimis laboribus viriliter occupata contulit, nonne hoc in animo potuit habere ut significaret Didoni, vel olim nuptae curisque tantis intentae, virgineum tamen aliquid superesse? Maturius enim viro orbatae num ei satis abunde frui concessum est ea, quae mutui amoris est, felicitate? « *Resides* » quidem illa ipsa postea jactabit « animos » suos, « *desuetaque corda* ». Num vero *resides* quia expleti, adeoque *desueta* ne expergefieri possint? Minime profecto; Didonemque Vergilius cum virgine dea comparando istud quasi furtim, et cum ingeniosa quadam castitate assequitur ut facilius intellegant legentes quo repentino ardore juvenilique alacritate Aeneam amare Dido, quanquam matura jam aetate, incipiat, ex quo heros ille, « os humerosque deo similis » renovataque pulchritudine fulgens, coram obstupefacta regina adstat [1].

IV

NULLAM APUD PRIORES POETAS ESSE SIMILEM FUTURARUM RERUM PRAEPARATIONEM.

Diligentissimae autem sapientissimaeque praeparationis nullum usquam apud priores poetas, qui non dissimiles amores attigerant, exemplum Vergilio reperire erat.

Quod enim ad homericam Circam attinet, parum profecto mirum est si nulla emineat apud illam rerum quae ad animum spectent cura. Prodigiosa prorsus narratur ista fabula, incredibilium redundans, utpote in qua non

1. Bouhier (*Les Amours d'Énée et de Didon, trad. en fr.*, 1742, *Préf.*, XXIX-XXX) Vergilium defendit adversus criminatiónes quorundam criticorum « *qui ont prétendu que Didon se livre trop légèrement à son amour pour un étranger... Pour juger ainsi de cette reine, il faut n'avoir pas fait attention à l'art dont Virgile s'est servi, non seulement pour la rendre digne d'excuse, mais même pour faire sentir qu'il ne lui avait pas été moralement possible de ne pas succomber.* »

solum de una quavis dearum, sed etiam de maga dea agatur. Eorum igitur quae vel sentit illa vel agit, nullam sibi reddendam rationem non immerito censuit vetus poeta. Nihil enim neque « ethicum », neque etiam corporeum Circam adducit ut Ulyssum amet; ne dici quidem potest deam solitariae immortalitatis taedere [1], nam in fascinandis feris jucunde occupatur et mutanda satis gaudet eorum qui regnum suum appulerunt figura. Domum ejus Graeci appropinquantes hilares cantus deae fusum versantis audiunt; quippe quae vitae suae ratione valde contenta nihil aliud exoptet.

Immo ut in consortium thalami Ulyssem Circa advocet, ne hoc quidem utile poeta existimavit ut coelestium aliquem saevae deae nonnihil benevolentiae erga Ulyssem infundere [2]. Magicis artibus maga vincitur, violenta vi; validiorem et callidiorem hospitem nacta, miratur, metuit [3] et amat [4].

Divino contra Cupidinis interventu freti, Apollonius in Medea, Catullus in Ariadna, nihil ultra quaerere aut explicare curaverunt. Cupidinis instinctu, Medeae in Jasonem, Ariadnae in Theseum non minus repente quam Circae in Ulyssem erumpit et effunditur amor.

Ubi primum Jasonem, inter comites pulchritudine et gratia nitentem videt, Medea quae tranquillam adhuc vitam in paterna domo traduxerat, sibi in pectore cor salire et micare sentit; praesentem heroem clanculo, sublevato velo, oculis devorat; absentis habitum, verba, vestem,

1. *Od.*, X, 212 sqq., 221.
2. Hermes Ulyssi praenuntiat illum a Dea amatum iri (*Od.*, X, 295, sqq.); nihil autem confert ut ametur.
3. Ὑποδδείσασα (*Od.*, X, 297).
4. *Od.* X, 321 sq., 326 sqq.: Θαῦμα μ' ἔχει...

> Οὐδὲ γὰρ, οὐδέ τις ἄλλος ἄνηρ τάδε φάρμακ' ἀνέτλη,
> ὅς κε πίῃ.....
> Ἀλλ' ἄγε δὴ κολεῷ μὲν ἄορ θέο, νῶϊ δ' ἔπειτα
> εὐνῆς ἡμετέρης ἐπιβείομεν...

Nullum apud Circam reperitur benevoli cujuspiam affectus indicium, nisi forte quando Ulyssis comites, pristinae formae redditi, prae gaudio reciperati domini lacrimantur (*Od.*, X, 398-399): θεὰ δ' ἐλέαιρε καὶ αὐτή.

sessionem, incessum ante oculos, quasi fascinata, habet[1].

Nec minus improvisus inexspectatusque amor Ariadnam invadit[2] :

> Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
> Regia,...
> Non prius ex illo flagrantia declinavit
> Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
> Funditus, atque imis exarsit tota medullis...
> Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
> Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosum,
> Qualibus incensam jactastis mente puellam,
> Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem !

Sicuti igitur vulgo dicitur, ambae fulmineo quasi amoris ictu attactae vulnerantur, atque in medium nos amorem Apollonius et Catullus, quanquam limatioris artis poetae, non minus atque rudis et simplex Odysseae conditor, projiciunt. Solus quidem Vergilius feminei amoris priores atque jamdudum animo inhaerentes causas radicesque, miro acumine perspexit, mira dexteritate extricatas eruit.

V

DE DEORUM A VERGILIO ADHIBITA IN HAC OCCASIONE OPERA, ET QUATENUS ILLA PROSIT

Quin etiam tam bene per illius artes persuademur Didonem esse Aenae amori quasi praedestinatam ac debitam ut nec Junone et Venere et Cupidine una conjurantibus, neque misso ab Jove Mercurio opus esse ad illud perficiendum videatur.

Quanquam penitius rem considerantibus non tam su-

1. *Argon.*, III, 443 sqq. — Cf. COUAT, *Poésie alexandrine*, p. 141 et p. 152 : « *Dans Cydippe, dans les Argonautiques, et dans tous les romans grecs, la passion éclate soudain, sans nuance, sans gradation d'aucune sorte... Ces âmes ardentes ne subissent pas par degrés l'influence du dieu ; il fait pour elle des coups de foudre.* »
2. CATULL., LXIV, 86 sqq.

pervacaneam esse constabit machinam illam, quam quis primo quidem adspectu judicare queat[1].

Oportebat enim Didonis, — quam, ut supra notatum fuit, singulari quadam benevolentia complectitur ille ipse qui finxit eam poeta — imprudentissimum amorem quam maxime excusari. Eo autem minus invidiam severioris lectoris « furor[2] » ille movebit vituperationemque merebitur, si a Diis impulsa clarius apparuerit. Quid mirum

> una dolo Divum si femina victa duorum est ?

Purgationis igitur hoc est quasi supplementum, a Didonis patrono eodemque patre adhibitum[3].

Sed et praeterea decuit hunc erga Aeneam a Punica regina conceptum amorem quam maxime concitatum esse ac properatum, neque tamen ulla debebat injici legentibus suspicio, « pium » Trojanorum sacrorum custodem et heredem vel minimam impendisse operam, vel digitum movisse ut amaretur. Necesse igitur erat ut Dido sola Aeneam ultro adiisse, petiisse, lacessisse crederetur... Quod autem ut melius confirmetur, Vergilius, quasi suae diffisus describendorum animi affectuum peritiae, Deos in auxilium arcessivit.

Ceterum patet Vergilium multo minus in his immorari quam Apollonium aut Catullum.

Nam et Mercurium quem ab alto Olympo Jupiter demisit

> ut terrae utque novae pateant Carthaginis arces
> hospitio Teucris,

citius omittit poeta[4], et quam brevissime navatam ab eo operam describit :

1. Vide KVIČALA, *Vergil-Studien*, p. 158. WEIDNER Cupidinis interventum inutilem judicat, causamque ejus interventus nihil aliud esse quam « *Scheinmotiv.* » — Cf. *Aen.*, I, 661, 662, 674, ea quae, satis levia profecto, obtendit Vergilius.
2. Verbum est SERVII, in *Aen.*, I, 299.
3. Optime de hoc KVIČALA, *Vergil-Studien*, p. 159, 160, et CONINGTON, in *Aen.*, l. IV, *Notice*.
4. Cf. ea quae KVIČALA, *Vergil-Studien*, p. 102-103, de hoc Mercurii interventu utilitate acute disputavit.

Et jam jussa facit, ponuntque ferocia Poeni
Corda volente deo ; in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.

Nec plura. De Cupidine item ; etenim illud primum animadvertendum est, etiam antequam ingruat Cupido, jam tunc Aeneam amari a Didone[1] :

Obstipuit primo adspectu Sidonia Dido ;
Casu deinde viri tanto...

quibus verbis jam satis liquet reginam et per oblectatos oculos et per mirantem miserantemque animum una captam et labefactatam, duplici quodam amoris vulnere ultro vulnerari. Superveniente Cupidine, jam antea pars major operis peracta est.

Deinde et ipsum Veneris filii in Didonem impetum leviter tantummodo attingit Vergilius, et attingit ita, ne tela, ne arcum, ne blanditias ac dolos pusilli dei meminerit ; nec miraculum, quo fiat, describit, sed solitos et naturales miraculi hujus effectus. Cupidinis enim Didonem aggressi pictura nihil aliud est quam secretarum Didonis de praeterita ac praesente vita cogitationum verisimilis enuntiatio[2] :

At memor ille
Matris Acidaliae paulatim *abolere Sychaeum*
Incipit, et *vivo* tentat praevertere *amore*
Jampridem resides animos desuetaque corda.

Hic igitur quoque (quemadmodum de Amata, ab Alectone efferata, fieri videbimus) portentoso numinis interventui humana quaedam et naturae nostrae consentanea

1. Cf. *Aen.*, I, 613, 659, 670, 712 sqq. — Errat Conington, cum in ingeniosa ceterum et plerumque vera dissertatione, scribit : « *Dido's flame has been kindled not from within, but from without, by a supernatural power.* » *Introd.*, p. 13.)

2. Perperam Cauer, op. cit., p. 24, de hoc Mercurii, sicut et aliorum in Aeneide deorum, interventu : « *das Eingreifen der Götter ist nicht nur nicht, wie bei Homer, der poetische Ausdruck für das, was die Seele des Menschen bewegt, sondern es steht in angesprochenen Gegensatz zu dieser Bewegung.* » Cf. infra de Amata.

forma induitur. Adhibetur et hic tantummodo μυθολογία, quae ψυχολογίαν aut praetegat, aut adjuvet[1].

Omnia contra apud Apollonium[2] facit telum Cupidinis[3]. Libentius ergo ac minutius poeta non solum Aphroditae et Herae consilium describit (quod et Vergilius), sed etiam Aphroditae cum festivo contumacique et minus obsequenti nato colloquium, tum perfidiam dolosque Cupidinis, Medeae limen furtim ingressi, ipsamque clanculo puellam sagitta percutientis : lepidam[4] sane imaginem, quae quidem ad curiosam vivae naturae descriptionem additamenti instar si accedat, nihil ei noceret ; absentis vero humanae veritatis vicem supplere nequit.

VI

DE DIDONIS ERGA AENEAM AMORIS CAUSIS ET NATURA

Primo igitur libro exeunte, Vergilius tum praeteritam Didonis vitam, cum praesentem ejus « labantis » animi habitum enucleate jam exposuit, adeo etiam ut, adfirmante in initio quarti libri poeta « *jamdudum* » amore sauciam esse reginam, ne subeat quidem nos refragandi

1. Cf. Boissier, *Nouv. Promen. archéol.*, 303-304 : « ... *Avions-nous besoin de l'intervention de tant de divinités pour nous expliquer comment il se fait qu'une femme jeune et belle, qui a beaucoup aimé, s'éprend un jour d'un héros qui lui raconte d'une manière si touchante ses malheurs et ses aventures ?* » — Bene et illud nescio quis observavit, ne monere quidem nos Vergilium quando Cupido recesserit suamque in speciem Astyanax redierit : adeo non necessarium erat (etsi quodammodo, ut supra dictum est, utile), adhiberi in hac re dei alicujus industriam. — Cf. Kvičala, *Vergil-Studien*, p. 158 sqq. qui, p. 160, Veneris dolo opus esse judicat ut quasi sopitus Didonis amor expergefiat.

2. *Argon.*, III, 284 : ἧκ' ἐπὶ Μηδείῃ· τὴν δ'ἀμφασίη λάβε θυμὸν. — Postea tantummodo Jasonem conspicit Medea. — Cf. Couat, *Poés. alexandr.*, 152-153.

3. *Argon.*, III, 253 sqq., 275 sqq.

4. Couat, op. cit., p. 309 : « *Il faut avouer que le tableau (de Cupidon blotti entre les jambes de Jason) est plus joli que touchant, et nous prépare bien peu aux tragiques effets qui vont suivre.* » P. 310 : « *Bientôt Apollonius fera intervenir non plus Eros seul, mais la troupe turbulente des Éros, et ramènera ainsi notre pensée, d'abord séduite par son pathétique récit, vers les banalités de la littérature érotique...* »

vel mirandi cogitatio, etsi potius debeat et verissime possit *hesternus* ille amor appellari.

Quae cum ita sint, multis sane poetis nihil aliud ultra de Didonis indole exponendum, sed ad exitum cito currendum visum fuisset, cum satis jam e longa descriptione ea quae in Didonis animo aguntur lectori explorata fuerint. Vergilius contra exquisitiorem etiam in modum excutienda illa esse censuit; quod quidem illa perfecit oratiuncula qua sorori Dido intimos sensus credidisse fingitur. Nempe his in verbis apertius ac fusius nobis eae explicantur duplicis quidem generis causae, quibus ad Aeneam Dido pellicitur.

Quippe quam Aeneae « *adspectu* obstipuisse » jam prius poeta praenuntiaverit, ubi primum regina duxque trojanus obvii inter se fuerunt. Neque multo post Vergilius eamdem istam Aeneae pulchritudinis admirationem, (qua quidem primo congressu perculsa Dido fuerit,) iterum commemorat, cum dicit non posse reginae, in Astyanactem oculos defixae,

expleri corda *tuendo* :

existimasse enim licet, non tantum illam a « puero » moveri ipso, quantum formosi similitudine patris. — Atque deinceps quando in sese recollecta nobis ostenditur Dido, « haerere » ei

infixos pectore *vultus*

rursus admonemur. Nunc vero, quando Annam alloquitur, ipsa tandem quantum Trojani herois robustis illecebris conturbata fuerit, ingenua confessione declarat :

Quam sese *ore* ferens, quam forti *pectore* et *armis!*

Cujus quidem versus fine significari Aeneae *thoracem* et *lacertos* quibusdam sane displicuit [1], neque delicatum

1. Cf. Kvičala, *neue Beiträge,* (p. 76, 77, 78) qui, cum Benoist et Haeckermann (apud Forbiger), huic sensui adversatur, neque tamen, ut opinor, probabilia argumenta affert.

illud in delicatissimo poeta fastidium reprehendere egomet velim. Attamen similes aliorum scriptorum locos considerantes [1], solito verborum sensu prohibemur, ne in disceptato loco isto de Aeneae *virtute* et *gladio* agi credamus [2]... Ceterum, quanquam minus sublimis atque elatus est ille, ad quem recipiendum adigimur, sensus, non saltem minus humanitati congruit. Nec nobis aut Vergilio indignum videri debet, aut Didone, quod junior illa mulier, — cui vere muliebre ingenium inesse poeta tam sedulo et attente nos et ante et postea monuit, — eximia illa specie commoveatur, qua Venus ipsa filium diligentissime decoraverit [3], « os *humerosque* deo similem » ab illa redditum.

Satis est si in hoc quoque Vergilius ab antecessoribus differat, iisque et urbanitate et veritate praestet. Talia autem Apollonianam quoque Medeam secum animo revolvere videmus [4] :

Πολλὰ δὲ θυμῷ
ὥρμαιν', ὅσσα τ'"Ερωτες ἐποτρύνουσι μέλεσθαι.
Προπρὸ δ'ἄρ' ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο πάντα,
αὐτός θ'οἷος ἔην, οἵοσί τε φάρεσιν ἕστο,
οἷα τ'ἔειφ', ὥς θ'ἕζετ' ἔπι θρόνου, ὥς τε θύραζε
ἤιεν· οὐ δέ τιν' ἄλλον δίσσατο πορφύρουσα
ἔμμεναι ἀνέρα τοῖον...

Sed praeter ista nihil puella reputat amplius [5], postquam intra virgineum cubiculum se recepit et prope lectulum in sellula, vultu in sinistram manum innixo, sedet.

1. Cf. *Aen.,* XI, 641, 644 ; I, 589 ; II, 271 ; — *Il.,* II, 478 ; III, 193 ; *Od.,* XVIII, 68 ; — Apoll., *Argon.,* III, 453 sq. ; — Hor., *Ep.,* vii, 26 ; — Val. flacc., I, 433 sqq. ; II, 485-492. — Cf. alios insuper locos apud Henry, *Aeneidea,* II, 560, qui Daretem quoque Phrygium citat, cap. 12 : « Aeneam rufum, *quadratum.* »
2. Cf. Peerlkamp, Wagner, Ladewig, Conington-Nettleship, Forbiger, Henry (*Aeneidea,* II, 560.)
3. *Aen.,* I, 589-593. — Aeneae formae denuo meminit Vergilius (IV, 141 sqq.)
4. *Argon.,* III, 451 sqq.
5. Quanquam aliis Jasonis dotibus insuper commoveri Medea potuisset, quoniam graeco heroi Heram dedisse Apollonius dicit, non solum corporis formam, sed et « dicendi leporem. »

Simaethae quoque Theocriteae amor totus e corporeis amati illecebris pendet. Quippe quae, festo quodam die iter faciens, antecedentes prospicit adolescentes duo, Delphidem et Eudamippum. Nec mora, prospicientis — animum ne dicam? — invadit amor. Sua Delphidi forma, vigor suus causa est ut ametur, nec quicquam aliud. Necnon et protinus morbo Simaetha conficitur, decemque dies, decem noctes languescit, macescit, defluunt capilli, bile suffunditur vultus croceo[1]. Sicut enim tanti amoris mere corporea causa est, ita corporea sunt quae inde oriuntur...

Catullianae vero Ariadnae similes prorsus comperiuntur affectus ; neque eam propter aliam nobis causam in Theseo « suspirantem » poeta ostendit, nisi quia « flavus » ille est[2].

Didonis contra non unice capiuntur oculi, sed et animum quoque inde ab initio *misericordia* et *admiratione* percelli, eaque quoque via ad Aeneam quasi attrahi et impelli videmus. Dejectum enim tanta gloria tantaque felicitate principem Trojanorum virum, tantarum patriae calamitatum spectatorem, nunc vero profugum, per maria tempestatesque Deorum ira jactatum, incertas quaerentem in ignotis regionibus sedes, miseratur Dido, idque eo magis quod ipsa non sit consimilium aerumnarum expers. Et in his satis immoratur Vergilius ne illud nos praetereat.

Miratur autem Dido de Aenea plura ; nempe primum viri constantiam, deinde trojanae gentis, adeo per Orientem totum inclytae, et propter bellicam virtutem ab ipsis hostibus laudatae meminit « honorem » ; tum vero praecipue reputat Aeneae ipsius divinam, quae ferebatur, originem :

> Multa viri virtus animo, multusque recursat
> Gentis honos...
> Credo equidem, — nec vana fides, — genus esse Deorum :
> Degeneres animos timor arguit.

1. Theocr., II, 77 sqq., 82 sqq.
2. Cf. supra p. 50, et Plut., in Thesei vita, c. xix ; Diod., IV, 61 ; Ovid., *Her.*, XII, — Bene Couat, *Étude sur Catulle*, p. 234, de Ariadnae amore : « *un amour tout sensuel* ; » et Baehrens, in Cat., LXIV, v. 55.

Cujus autem modi sensus « *Phoenissae* », « *Sidoniae* », Didoni convenire Vergilius arbitratus est. Quippe quam e gente commerciis unice dedita ortam, pacifico et mercatori populo imperantem, nuptam olim viro qui et ipse profecto dives negotiatione[1] factus fuisset, quid mirum si strenuum illum tanti superstitem belli militem inhiet[2]? Quid si, ad superbiam utpote quae sit, mulierum ritu, proclivis, eo quoque permulceatur quod Veneris subolem tecto exceperit? Tot et talia, ni fallor, ille inter alios amplectitur versus :

> Quis *novus*[3] his *nostris* successit *sedibus hospes*?

His verbis leviter tangere, decenter exprimere Vergilius mihi videtur illud mirabilis cujusque rei studium, illam insolitorum aviditatem, fastidium denique illud quotidianae vitae consuetarumque conversationum, quae quidem apud recentes fictarum narrationum vel comoediarum scriptores uno quodam gallico verbo significata continentur : quo quidem uti potius malim quam longo impropriorum verborum circuitu rem obscurare[4].

VII

QUID HABEANT ANNAE CONSILIA MOMENTI

Proprium autem illud quoque Vergilianae Didonis est, quod quanquam tantis et oculos et animum sollicitan-

1. *Aen.*, I, 343 : Huic conjux Sychaeus erat, ditissimus *agri* Phoenicum... Haec vulgata lectio (quam Wagner, Ladewig, Benoist, Conington-Nettleship, recipiunt, inter recentiores) ; recte tamen mihi conjicere videntur Huet, Heyne, Peerlkamp et Ribbeck : ditissimus *auro* Phoenicum. — Cf. Ribbeck, *Proleg.*, p. 364, qui versus *Aen.*, I, 349, 358 sqq., 364 confert.
2. Cf. in IV, 647, Benoist : « *Il est vraisemblable que Didon a demandé à Enée comme un souvenir de ses exploits et un gage d'amour l'épée qu'il portait avec lui.* » — Ille tamen locus quomodo congruat cum IV, 507, non satis perspicuo liquet, tametsi Benoist, quocum ceterum consentit Forbiger, recte illum intellexisse mihi videatur. Cf. Sil. Ital., VIII, 148.
3. « *Nouveau. c.-à-d. différent des hôtes ordinaires, remarquable.* » Benoist.
4. « *Romanesque.* » Quod quidem verbum, vel huic consimilia, usurpant nonnulli critici (Teuffel, Forbiger, Conington) ut proprium genus Vergilianae inventionis definiant.

tibus illecebris ad amorem seducatur, tamen neque sola sponte sua, neque tam cito cessura videatur, nisi aliunde impulsa sit.

Non sane quod Dido, vel etiam antequam Annam adeat, non jam ultro ad indulgendum « placito » amori revera inclinet. Immo çontra, verba illius, inde ab isto versu :

> Si mihi non animo fixum immotumque sederet,

usque ad oratiunculae finem, potius aliquam exhibent « actionem » qua ipsa sui amoris causam orat, oratque peritissime[1]. Etenim illae ipsae causae, quas affert ut cupidati suae obsistendum esse sibi ipsi persuadeat, eae omnino sunt quae non minus bene possint e contrario objici ut ei concedat.

Namque ideo ait ad alias nuptias transire se nolle, quia nempe illam

> primus amor deceptam morte fefellit ;

nonne vero tanto se excusabiliorem futuram esse praeclare novit, — si oblatum denuo amorem non repudiaverit, — quanto magis improviso atrocique casu[2] orbata dilecto conjuge fuerit ?

« Pertaesum » quoque se esse « thalami taedaeque[3] » adfirmat ; cui vero se fidem facturam sperat — (si modo

1. Nescio an illam animi vi amoris incitati intemperiem Vergilius nimio quodam verborum fastu ex proposito indicaverit. Quando igitur in hunc versum (IV, 27) :

> Ante, Pudor, quam te violo aut tua jura resolvo,

observat Peerlkamp hoc nimis rhetorice dictum esse : « Quae verborum pompa ! quam inanis ornatus ! » — sagaciter, fateor, sentit ; — quando vero versum istum propterea tollit, errat. Melius contra, opinor, Marckland ita correxit ut « Sancte Pudor », non « Ante Pudor » veram esse lectionem conjiceret.

2. « Sparsos fraterna caede Penates » (IV, 21) : quem versum inepte tolli voluit Peerlkamp. — Recta est altera e duobus quas dat Servius interpretationibus : « [Penates] pollutos cruore » fratris. Cf. recentes apud Conington interpretes.

3. Peerlkamp : « Non erat quod hic quisquam timeret tautologiam... Pudor retardat et impedit quominus statim eloquatur quod sentit. Vox novi conjugii quasi in faucibus haeret. »

speret) — post tam breve matrimonium et vix praelibata inchoati amoris gaudia, nihil sibi amplius superesse optandum ?

« Culpam » denique appellare non dubitat suum erga Aeneam studium, cum ei studium illud « caritati et fidei erga conjugem defunctum adversari videatur[1] » ; sed paulo post « agnoscere » se declarat

> veteris vestigia flammae :

vixdum igitur novum, quem nuper concepit, affectum incusavit, et subinde illud injicere in Annae mentem tentat, illum amorem, tam severe a se ipsa damnatum, nihil aliud tamen esse quam meram pristinae in Sychaeum caritatis continuationem vel quoddam, ut ita dicam, residuum. — Velut si significet Sychaeum ipsum adhuc amari, cum Aeneas ametur...

Ergo etiam quando Dido sorori argumenta adversus se ipsam valentia generose porrigere videtur, ita tamen sollerter illa eligit aut enuntiat, ut, quasi hebetata, usui esse nequeant. Quamobrem rursus Anna, emunctae naris et ipsa mulier, neque iis argumentis uti, neque eadem refellere dignatur.

Sed alia tunc illa meliora affert, et magis per se valentia, quaeque maxime ad commovendam et, ut ita dicam, praecipitandam Didonem idonea sint. Duo enim ista sola Didoni esse accipiendi amoris impedimenta intellegit, scilicet promissam Sychaei cineri, promissamque Diis fidem. Duplici enim tenetur Dido religione : mortuorum reverentia atque metu Deorum ; ac duas illas cogitationes ejus animo penitus infixas non semel Vergilius monstravit. Eae autem ipsae sunt quas refelli oportere Anna haud immerito censet ; quo vero modo refellat, de Anna disserentes postea videbimus[2].

1. Heyne.
2. Pars ii, cap. iv.

Non igitur ab Anna, fateor, ad amorem impelli Didonem Vergilius facit; — namque illa prius et amabat, et usque amare « fixum » ei « immotumque » animo « sedebat; » — verum ab Anna fingit arceri et quasi evelli ea sola quae Didonis amori graviter officiant et adversentur. Ab eadem quoque Anna eas fingit praetendi causas, quibus impulsa Dido non solum licere sibi putet amorem, sed et imperari : nascentis dico regni utilitatem. Sicut et ait ipse verbis ad veritatem plane accommodatis Vergilius, Anna « *incensum* animum *inflammavit* » ; Anna « resolvit pudoris jura; » Anna « solvit Deorum metum » quo inhibita Dido cunctabatur, ita ne injuria deinceps exclamare Didonem poeta fecerit :

> *Tu* lacrimis evicta meis, *tu* prima furentem
> His, germana, *malis oneras atque objicis hosti* [1].

Tale autem nihil apud priores poetas quos Vergilius secutus est reperias. Neque enim homericae Deae, neque Theocritea Simaetha, neque Catulliana Ariadna, neque etiam apud Euripidem Phaedra, ab alio quopiam impellendae sunt ut sibi ipsi morem gerere velint.

Neque de ipsa Apolloniana Medea aliter fieri comperimus, tametsi ei Chalciopa soror adest. Nihil enim revera Chalciopa confert [2] ut soror Jasonem amet et sequatur. Nullo Medea consilio, nisi suo, utitur; sibi soli obtemperat. Ubi ergo sui in Jasonem amoris conscia facta est, secum ipsa reputat, nunquam fieri posse ut telum illud, quo vulneratam se sentit, eam relinquat, etsi Jasoni non patefaciat qua in eum cupidine deflagret ; quid igitur resistere ac silere prosit [3] ? Ea profecto Medea est, quae

1. Cf. Henry, *Aeneida*, II, p. 590. — Kvičala, *neue Beiträge*, p. 171, verbis istis subesse aliquam adversus Annam criminationem non putat. Ego secus opinor ; et sic Ovidium intellexisse video, *Her.*, VII, 191 : Soror Anna meae *male* conscia culpae.
2. Cf. Apoll., *Argon.*, III, 609-743.
3. *Ibid.*, III, 770, 784, 785.

potius et Chalciopam impellat et Jasonem, quam hortatoribus iisdem egeat [1] !

Attamen puella Medea est; Dido vero, mulier aetate multo provectior et quae jam prius nupta fuerit, multo minus audacem, multo magis se praestat timidam... Num vero illud Vergilium praeteriit? Num inscius Didonem fecit Annae consilia et exquirentem, et sequentem, neque cupidati suae, nisi auctore sorore, satisfacientem? Immo contra plures ob causas sic fieri voluit : primum scilicet, accelerandae narrationis causa : quamprimum culpae succumbere Didonem oportuit, quod quidem eo verisimilius videtur, si non solum sibi obsequitur peccans, sed suadenti et suffraganti sorori ; — deinde, quia, sicuti jam supra monui, Aeneam nihil, ne minimum quidem, moliri decuit, ut Dido amori succumberet [2] ; — sed illud insuper sibi in hoc Vergilium proposuisse arbitror, ut (cum intactae virginis affectus nescio quid in se lepidius et ad permulcendos homines aptius sine dubio habeant) addita Didoni quoque suae teneri rudisque ac verecundi animi cunctatione, ei, etsi jam nuptae et maturae, quasi virgineum quiddam suffunderet.

VIII

DE DIDONE AMANTE, QUALEM SE GERAT, DEOSQUE ERRORIS AUCTORES ET CULPAE QUASI CONSCIOS HABEAT

Annae autem consiliis tanto facilius victa quanto magis secretis ipsius studiis respondent, non jam sese Dido

1. Cf. *Argon.*, III, 686, 688, 727, 739, 1062, 1067-1076, 1111-1117, 1120. Couat, *Poésie alexandrine*, p. 308 : « *Ce qui est vraiment nouveau* (*chez Apollonius*), *c'est la profondeur de l'étude psychologique. Il y a peu de poètes dramatiques qui aient peint avec plus de franchise et de délicatesse cette lutte douloureuse de l'amour et de l'honneur dans l'âme d'une jeune fille...* » Isti doctissimi viri opinioni minime adsentior. Cf. *Argon.*, III, 439-470, 609-743, ubi unum tantummodo versum in quo aliquid tale vix obiter indicetur (640). — Multo magis vera mihi videntur ejusdem philologi verba, quae supra non semel citavi. — Apud Apollonium non sese interrogat lector utrum Medea Jasonem amatura sit necne; sed utrum servatura sit, necne. (III, 750-801). — De quo vide idoneam observationem apud Catrou, IV, 128.
2. Rectissime Henry, *Aeneidea*, II, 590 : « *Virgil has represented Aeneas as seduced by, not seducer of Dido.* » Cf. ibid., II, 635, et infra, nº ix, p. 69, n. 1.

compescere nititur. Nec quicquam in pulcherrimo illo quarto Aeneidis libro pulchrius esse censeam, quam locos istos [1] ubi Vergilius nobis exponit quanta cum libertate et audacia intimis affectibus suis regina habenas immittat, quibusque viis ad absolutam et feminei *pudoris* et regiae *famae* jacturam deveniat. Namque aliis poetis aut nascentis initia amoris, aut jam adulti impetus, aut exsultantis laetitiam, aut spes ac cunctationes ac metus, aut dolores et iras perspicue ac vivide descripsisse datum est; illud vero (quod quidem perbreve solet esse) tempus, quo diu obsessum animum quasi victor occupat amor, in eoque consistit, « pererratque » totum, lateque effunditur et altos radices agit, — illud quidem tempus [2] nescio an quis unquam cum exquisitiore veritate descripserit quam in hac poematis sui particula Vergilius.

Quid vero illi ad hoc suppeditatum fuerat ab antiquis? Lepidis sane versibus et Apollonius Medeae, et Catullus Ariadnae, utriusque amori sese ultro tradentis, voluptatem elocuti sunt; nam et Apollonius haec [3] :

οὐδέ τιν' ἄλλην
μνῆστιν ἔχεν, γλυκερῇ δὲ κατείβετο θυμὸν ἀνίῃ.
.... ἰαίνετο δὲ φρένας ἔισω

1. *Aen.*, IV, 56-89, 130-172. — Neque non his in locis immorari decet, cum a recentibus Aeneidis interpretibus levius justo praetermissa et flocci habita videantur. Sic unus e recentissimis : « *Virgil concentrates all his power on the description of Dido in her abandonment and despair, passing over the earlier stages of her fatal love.* » Papillon, t. II, p. 183.

2. Nam uno die contineri quaecumque locis infra citatis Vergilius enarrat non verisimile est (quamvis aliter Peerlkamp, Gossrau, Forbiger et aliquando, — in *Aen.*, IV, 81, — Conington ipse, sentire videantur. Cf. Schueler, *Quaestiones vergilianae*, p. 25 sqq., passim.) Absurdum est in illa vasta quarti libri descriptione temporum rationem cum exacta sedulitate computare : quae causa fuit nonnullis interpretibus sive cur textum frustra emendandum censerent, sive cur loca quaedam a Virgilio imperfecta sine necessitate existimarent. Sic Peerlkamp de his versibus (IV, 84 sqq.) : « Aut gremio Ascanium..., etc. » « Non honestum est, inquit, Didonem solam media nocte (cf. v. 80 sq. : Post ubi digressi, etc...) in domo vacua Ascanium in gremio tenere. » Neque vero Vergilius dicit tunc maxime temporis Ascanium amplexam esse Didonem, neque semel tantummodo amplexam. Sapit in hoc saltem Conington, de eodem versu disserens.

3. *Argon.*, III, 286-290. — Cf. ibid., 967 sqq. ubi Jaso et Medea cum duobus arboribus comparantur, sese ad alterutram inclinantibus. Non autem ad hos nimium venustos lepores descendere voluisse Vergilium bene observat Conington, *Introd.*, p. 28.

τηκομένη, οἷόντε περὶ ῥοδέῃσιν ἐέρση
τήκεται ἠῴοισιν ἰαινομένη φάεεσσιν [1].

Et Catullus :

Sed quid ego...
commemorem ut linquens genitoris filia voltum,
ut consanguineae complexum, ut denique matris,
omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem [2].

Sed hic habemus omnia [3]; cum ceterum his in locis amantis cujusdam animi status in summa potius et per comparationem exprimatur, quam per partes explicetur. Vergilius contra multo abundantior.

Quippe qui nihil praetereat, et ne corporis quidem solitum Didoni per hos dies habitum. Quando enim ambulat, non illa nunc, sicut in primo libro, magnifice suspensoque gradu « incedit [4], » sed qualis « conjecta cerva sagitta »

1. *Argon.*, III, 1015-1021. — Cf. ibid., 638 : περί μοι ξείνῳ φρένες ἠερέθονται — 1130 : τῇ δ'ἔντοσθε κατείβετο θυμὸς ἀκουῇ — 1151 : ψυχὴ γὰρ νεφέεσσι μεταχρονίη πεπότητο. — Cf. 967 sqq. Attamen tunc etiam Medea dolet, et prae amore dolet, nec minus vivide fatales illius et a diis immissae curae exprimuntur, quasi vere corporeo quodam dolore cruciaretur (v. III, 275 sqq., 285 sq., 776, 962 sqq.; IV, 32 sq., ubi Medea desiderare se fatetur, non fuisse demersum fluctibus Jasonem, antequam Colchos appulerit; IV, 55, ubi Luna gaudet quod non sola amore crucietur; IV, 63, 445 sqq., 1161-1168). Atque optime, ut videtur, hoc Medeae affectuum genus intellexerat Ennius : « Medea animo *aegra* ... amore *saevo* saucia. » Nihil apud Didonem, saltem in iis amoris ejus initiis, tale; quippe quam amore « furentem, » non « dolentem » Vergilius ostendat.

Sainte-Beuve (*Portr. cont.*, t. V, p. 361 sqq.) nimis laudavit Apollonium de Medea Jasonem amante, qualem effinxerit. Optime J. Girard (op. cit.) : « *Sainte-Beuve... n'est pas toujours assez éloigné de combler l'immense intervalle qui sépare Apollonius de Virgile.* » De Apollonio idem haud inique existimari posse censeo quod de aliis Alexandrinis poetis Couat (*Poésie alexandrine*, p. 154-156) : nullam tentari ab iis seriam amoris descriptionem; sed in locum rerum et affectuum verborum lumina, « translationes, » afferri, levesque et lepidas, quae tamen externam personarum speciem ac formam solummodo attingant, non intimos sensus illustrent, descriptiones.

2. LXIV, 116 sqq. — Apollonio ipso inferiorem Catullum in amore vivide effingendo judicat Ellis (op. cit., p. 299, in v. 86). — Couat, *Étude sur Catulle*, p. 237 : « *La passion d'Ariane à côté de celle de Didon nous paraît celle d'un enfant.* »

3. Adjice tamen hunc locum (v. 103-104) :

Non ingrata tamen frustra munuscula divis
Promittens tacito suscepit vota labello.

Quantum in hoc immoratus sit Vergilius, v. infra, p. 66-67.

4. Cf. de Didonis summa verecundia et dignitate *Aen.*, I, 737, subtilesque observationes quas huic loco Peerlkamp addidit.

per urbem dignitatis incuriosa suae vagatur. Quando etiam Diis libat,

spatiatur [1] ad aras,

quia scilicet, ut dixit Donatus, « nullo in loco consistere potest [2], » et quasi nervorum quadam inquieta trepidatione quatitur.

Nusquam enim et nunquam felix regina est, nisi quotiens cum Aenea versatur. Quocumque igitur ejus vestigiis insistit, nec unquam satiatur vidisse. Nunc ei « Sidonias opes » ambulando ostentat

urbemque paratam [3]

et quasi dotalem; nunc vergente die in noctem convivia [4] producere libet, ubi, sicuti primo die, et videndi et audiendi Aeneae liberior copia datur. Nunc veluti quoque antea, Astyanactem osculatur, neque illud poeta iterare, quamvis jam supra dictum [5], dubitat, quoniam sic ingenue, licet honeste et caste, viam habeat significandi, interdum erumpere « furentis » feminae aegre cohibitum ac silentem amorem, illamque quasi appetentiam optati viri [6]. — Nec minus audacem, eadem tamen servata

1. Nisi forte, ut vult Servius, Vergilius in hoc loco meminerit matronarum quae sacrificaturae circa aras faculas tenentes ambulabant. Cui quidem interpretationi adsentitur Benoist.

2. « Et vaganti totius civitatis spatium sufficere non poterat. » — Cf. Anon. apud Servium, in v. 62 : « An hoc ad impatientiam amoris referendum est, quo jactata Dido loco stare non poterat, juxta illud <68>

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens. »

Apollonius (III, 834-835) : αὐτοῦ δὲ δόμοις ἐνιδινεύουσα
στεῖβε πέδον...

3. In eo tanto magis perita, quo magis considendi cupidus est Aeneas (cf. I, 437, 557) et ipse desiderium quietis coram Didone testatus est (III, 493 sqq.).

4. In v. 77 : « nunc *eadem* labente die convivia quaerit, » interpretari debemus *eadem convivia;* non autem, ut Gossrau vult, *eadem Dido.*

5. *Aen.*, I, 717.

6.

Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, *infandum* si fallere possit amorem.

Cf. infra, v. 101 :

Ardet amans Dido, traxitque *per ossa* furorem.

verecundia, Vergilius se praestat cum Didonem oculis nostris subjicit « vacua » domo contentam, *stratisque, nuper ab amato viro relictis* [1], *incubantem.* Neque tandem diligentissimus obliviscitur poeta illud amori conjunctum, quo invaditur amantis animus, soliti laboris fastidium [2] :

Non coeptae assurgunt turres, etc [3].

Unde perspicuum fit, opinor, quamvis aliter senserint nonnulli, cum maxima cura describi punicae reginae amoris incrementa. Nihil enim desideratur in ista plenissima, licet brevissima, explicatione versus istius initio praemissi :

Uritur infelix Dido...

Nam quomodo vel in corpore illa, vel in animo, vel privatim vel publice « uratur », diligentissime haec omnia Vergilius, et multo diligentius quam Apollonius et Catullus, edisseruit.

Verumenimvero non solum videre nos ille vult « furentem » Didonem, sed et misereri tam perdite demersam in amorem quem infeliciter successurum esse sciamus. Illud enim ante omnia, sicut supra coepi ostendere, cordi habet, ut nostra peccanti feminae benevolentia, quin

1. Sic enim vv. 82-83, a plerisque nunc interpretibus (v. Forbiger, Conington) intelleguntur. Qua autem mente Dido in lectum, in quo cum Aenea mensae accubuerat, prosternatur, Ovidius fuse ac liberrime explanat (*Her.*, x, 51 sqq.; xv, 149).

2. Nec Vergilius alibi indicare omittit quibus intenta laboribus fuerit Dido, quoad duravere felices mutui istius amoris dies : cf. IV, 262 sqq. :

Tyrioque (Aeneae) ardebat murice laena
Demissa ex humeris, dives quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.

XI, 72 :

Tum geminas vestes, ostro auroque rigentes
Extulit Aeneas, quas illi *laeta laborum*
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, etc.

3. Quam quidem neglegentiam eo magis lector stupere debet quo magis intentam regiis operibus suis Didonem Vergilius supra ostenderat. (Cf. I, 504, 507 sqq. 563.)

etiam assensio concilietur; quod autem qua ratione assequatur, nunc indagandum est.

Scilicet in hoc primum immoratur quanto cum ardore Dido Deorum veniam impetrare conetur. Annae igitur consilia summo studio[1] amplexa, delubra adit,

pacemque per aras

exquirit, multasque, quibuscumque Diis sunt

vincla jugalia curae,

victimas immolat, idque non semel tantummodo, sed « diem donis instaurat[2]. » Quin etiam, non solum precatur, sed interrogat illa Deos, et sciendi scilicet cupida quando sibi praesto futura sit occasio suum Aeneae ipsi amorem profitendi, « pecudum reclusis

pectoribus inhians spirantia consulit exta. »

Quam vero ob rem tanto cum studio, tanta cum contentione Didonem Deos efflagitantem, votis urgentem, prece ambientem, poeta nobis ostendit? Nempe aliud non ille vult quam facilem legentibus fieri conjecturam, eo jam progressam esse vesanam mulierem ut jam votis suis, maxime vividis ac sinceris, non posse non respondere Deos ne dubitet quidem, illamque amandi veniam, tantopere postulatam, jamnunc tandem sibi tributam esse bona fide credat[3].

1. De Didonis erga deos pietate, cf. *Aen.*, I, 731 sqq.; IV, 25 sqq. 58, 492.

2. Non optime intellego cur in eo loco tantum insudaverint interpretes (v. varias interpretum opiniones a Forbiger et Conington enumeratas). *Instaurat diem donis* per quandam *hypallagen* et *ellipsin* dictum est, pro « *instaurat dona* quoque superveniente *die.* » « *Elle renouvelle chaque jour ses sacrifices.* » Neque haec cum contextu, vel cum verbi *instaurare* solito usu non quadrat interpretatio. *Dona,* i. e. sacrificia, sicut recte Wunderlich.

3. Multum haesere et nunc adhuc haerent interpretes in hoc versu (l. IV, v. 65):

Heu! vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant?

cujus videre licet apud Forbiger et Conington quam variae prolatae sint interpretationes. Illum equidem esse sensum arbitror (quem fusius explicitum volo, cum

Immo vero aliquid etiam amplius voluit Vergilius: voluit non prorsus esse falsam eam innocentiae conscientiam quam sibi ipsa Dido confingit, neque mendaci omnino securitate fretam reginam ad violandum pudorem adduci. Quippe qui Junonem hic denuo et Venerem advocandas esse censeat[1]: cur autem, nisi ad probandum, iterata duarum Dearum opera redintegratoque nisu opus fuisse, ut ad ultima prolabi Dido vellet? Insidias jam prius comparaverat Venus ut amor animum Didonis occuparet; insidias nunc comparat Juno ut tandem amori Dido succumbat. Non solum igitur se ipsam ultro Dido decipit, sed a Diis necessario decipitur. Non humana tantum cupiditate ac voluntate, sed fatali quodam et ineluctabili numinis instinctu ad « culpam » promoveri, volente Vergilio, videtur. Atque vel etiam eo temporis puncto quo se Aeneae habendam tradit,

et Tellus et pronuba[2] Juno

et Hymeneaus adest; nec non

fulgent ignes et conscius Aether
Conubiis, summoque ulularunt vertice Nymphae[3]:

nulla mihi omnino satisfaciat interpretationum quas veteres aut recentiores commentatores dedere): « Dido spirantia exta consulit, scilicet quaerit utrum tacitae interrogationi suae affirmativam an negativam responsionem Dii dent. Sacerdotes contra (*vates*) idem cum illa sedulo ac bona fide quaerunt, nescientes jam adhuc progressas res esse ut inutilia responsa victimarum sint, sive quod Dido *placito amori* non jam *pugnat,* sive quod Dii decreverunt necessario fore ut succumbat, etsi malis ominibus ab eo consilio, de quo exta interrogat, deterreatur. »

Et ille gliscentis cupiditatis, qua Dido obcaecatur, processus cetera inutilia facit. (Cf. *Aen.,* IV, 464.) Namque

est molles flamma medullas
interea

Peerlkamp, aliique cum illo interpretes, ratiocinari mihi videntur quasi Dido sine ambagibus sacerdotes interrogasset an sibi amare Aeneam liceret, et veras litationis causas praetendisset. Quod non verisimile est. (Cf. Anon. apud Servium in. h. l.)

1. *Aen.,* IV, 90-128.

2. « Pronubae adhibentur nuptiis, quae semel nupserunt, ut matrimonii perpetuitatem auspicantes. » Festus, apud Lehrs, *Antiquitates romanae,* p. 237.

3. Ceterum ipsa Juno declaravit (IV, 103 et 126): Conubio jungam stabili. — Simulacrum igitur quoddam fuisse conjugii Vergilius significat, Didonem excusaturus. — Errat Servius cum haec omnia « mala omina » judicat; quod rectissime demonstrat Henry, *Aen.,* II, p. 645 sqq.

ita ut etiamtum legitimi apud Romanos conubii consuetae caerimoniae quodammodo perficiantur, sicuti recte animadvertit Lerschius[1]; unde fit ut confiteri cogatur rigidissimus quisque censor non adeo sibi ipsi mentiri Didonem, quando illud *culpam* nominare non vult *conjugiumque* vocat, sed specie quadam veri decipi[2]. « Culpae » enim, si qua est, conscios et hortatores et patronos videri, si non esse, Deos Vergilius voluit, ut tanto magis « infelix » femina excusaretur. Quo autem ex loco, ubi Deorum numen interponi nihil prodest, nisi ad absolvendam quodammodo Didonem, Vergilii erga illam paternus quasi amor tacitaque misericordia, ni fallor, iterum eminet[3].

IX

De Aenea non tam invidiam legentis per se ipsum merente quam mereri saepe dictus est. Cur tamen adeo displiceat.

Quo vero feliciore cum diligentia a Vergilio demonstratur in penitissimum Didonis animum defluxisse amorem imisque in praecordiis defixum insedisse, tanto magis injucundus est immotus ille ac frigens Aeneae eam derelinquentis rigor.

Non quod profecto vituperandus sit, sicut aliquando

1. *Antiquitates romanae*, p. 237-238 : « Virgo cum deduceretur, teste Paullo ex Festo : *facem* in nuptiis in honorem Cereris praeferebant... Ad quos ritus sine dubio spectat poeta (IV, 467-468) :

> ... » Fulsere ignes et conscius aether
> Conubiis... summoque ulularunt vertice Nymphae. »

« Canebantur etiam carmina fescennina ante fores, quae tangere videtur poeta, IV, 468. » Nequibat profecto, ut docte pronuntiat Peerlkamp, « conubium plane legitimum... in spelunca contrahi »; Vergilius tamen nos inducit ad credendum ea tunc signa adfuisse, quae superstitiosam mentem in errorem gratissimum pellicere possent, fidem facientia illud non sine numine Deorum et consensione fieri.

2. Cui quidem liceat dixisse quod apud Ovidium (*Heroid.*, vi, 43) :

> Non ego sum furtim tibi cognita; pronuba Juno
> Adfuit.

3. Cf. argutas de hoc observationes apud Henry, *Aeneidea*, II, p. 590.

fuit[1], poeta, qui heroem suum facilius et altius commotum non fecerit. Constat enim nunc nobis, et antiquos mores ac sensus, et Vergilii ipsius consilium melius perspicientibus, aliter effingi Aeneam non debuisse[2]. Is est sine dubio quem esse oportuit trojanus heros, sed tamen ingratus est; neque aliam, ut opinor, ob causam, quam quod talem Didonem, qualem miramur, Vergilius informavit.

Volo enim illum, qui tam libenter in « dulcibus terris[3] » hactenus commorabatur, nimis cito et improviso « ovantem... ardere » ut abeat; quique priora Deorum mandata ac promissa recentioraque patris ipsius[4] monita tam facile aut obliviscebatur aut contemnebat, nimis repente atque, ut ita dicam, abrupte ad meliora converti. — Fateor effusissime lacrimantis in aliis occasionibus herois tunc sicciores justo oculos esse[5], adeoque eum se praestare constantem ut durus sit[6]. — Concedo ex ejus ore nonnulla contumeliosius dicta exire[7], rerum verita-

1. Cf. Saint-Evremond, Voltaire, etc. — J. Henry, qui magis justum se erga Aeneam praebere solet, illud tamen et ipse : « [Aeneas is] not in love with — (he was *too courtly, too cold-hearted* for that) — but making love to Dido. » Cf. supra, p. 61, n. 2.

2. Vid. G. Boissier, *La Religion romaine* et *Nouvelles Promenades archéologiques.*

3. IV, 281. — Cf. 221 : « oblitos famae melioris amantes. »

4. IV, 351 sqq. Quasi Vergilius Aeneae auxiliari et succurrere ejusque excusationem confirmare vellet, hoc in loco causam affert de qua nulla antea mentio facta est. Mercurium vidimus, non Anchisam.

5. IV, 449 : Lacrimae volvuntur inanes. — De lacrimis Didonis et Annae, forsitanque Trojanorum ipsorum, Didonis dolore commotorum, hic agitur; non de Aeneae lacrimis. Cf. in h. l., Kvičala, Conington, Benoist, Forbiger, etc. — Adversantur Wagner, Ladewig, Henry, etc. easque sine causa Aeneae vindicant.

6. IV, 438 :

> ..... talesque miserrima fletus
> fertque refertque soror...

« Non ab Aenea, qui nihil dicit, sed a Didone fert et refert, id est iterum portat. » Servius. — Et ipse poeta nimis durum sibi videri heroem suum (quanquam emolliendum tamen sapienter non censet) hoc maxime verbo testatur (IV, 333) : « ... Tandem *pauca* refert. » Nam, ut bene observat Peerlkamp (qui « *dicta* refert » legendum esse conjicit) « quae Aeneas refert, non sunt adeo *pauca.* » Ita vero, sed ea *pauca* Vergilio videntur esse...

7. Irascentis verba non desunt : IV. 333 : ... quae *plurima* fando *Enumerare vales.* — 337 : *Pro re* pauca loquar... — 338... *ne finge.* — Adeo multis displicuit IV, 337 ut conjecturae duo propositae sint : *pro te* (Heinsius); *pro me* (Conington). *Pro re* cum Ladewig intellego : « *für meine That, zur Rechtfertigung meines Vorhabens.* »

tem[1] sensusque suos Didoni nimis impudenter aut intempestive declarantis... Quae tamen omnia, credo, non satis essent, — nisi Dido adsit, — ut tam odiosum eum et molestum efficerent quam revera nobis videtur.

Namque animadvertere aequum est non omnino imperturbatum remanere Aeneam, neque tam inhumanum esse quam fieri potuit; atque illam ejus totiens incusatam saevitiam dici posse viri, qui sibi usque imperare vult[2], cavetque ne sui impos, labefactante constantiam misericordia, fiat. « *Obnixus* » enim Aeneas, inquit poeta,

curam sub corde *premebat*[3]

et *magnas persentiebat*

pectore curas[4].

Non sane is est qui mente unquam assequatur (in hoc quidem Annae consimilis) usque eo progressurum Didonis dolorem quo revera devenit[5]; sed tamen aliquantulum

1. De versibus 338-339, Bouhier, *Les Amours de Didon, tr. fr., Préf.*, p. xxxii : « *Cette déclaration m'a paru si dure que j'ai cherché à l'adoucir dans ma traduction.* »
2. IV, 340-341 : « Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, et sponte mea componere curas... » Post hoc, eum dicturum credas, et nos credere forsitan Vergilius artificiose voluit : « tecum Carthagine manerem. » Verum non deceat Aeneam quasi invitum et coactum videri a Diis ad Italiam abripi et compelli ; aliter igitur poeta pergit : « ... Urbem Trojanam... colerem. »
3. IV, 333. Cf. IV, 395 : multa gemens magnoque animum labefactus amore. — Cf. v. 361. In sexto autem libro, tantum non tenerum se praestat. (VI, 458, 465, 468.)
4. IV, 448. — Sic enim recentes interpretantur critici hunc versum :

et *magno* persentit pectore curas

Cf. Kvičala, *Erklärung*, p. 125. Neque enim apparet cur hic e Aeneae « *mighty breast* » (Conington) loquatur Vergilius : nisi forsitan *magno* idem valeat ac *magnanimo*. Num vero latinum illud, praesertim cum *pectore* conjunctum verbum?
5. Quod quidem ille ipse ingenue in sexto libro fatetur :

nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem. » (463-464.)

intellegit quam aegre « optima Dido[1] » latura sit « tantos amores rumpi; » et, si non invenit, quaerit saltem vias quo mitiore et mansuetiore modo tristem illi ferat nuntium :

Heu! quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat...
Haec alternanti potior sententia visa est...
... Tentaturum aditus et quae mollissima fandi
Tempora; quis rebus dexter modus...

Atque ubi iratam et desperatam videt, tum

lenire dolentem
Solando cupit et dictis avertere curas;

et nisi Dido, « medium sermonem » ejus « abrumpens », sese « ex oculis » auferret,

linquens multa metu cunctantem et *multa parantem*
dicere,

forsitan[2] ille tandem e laboranti sollicitaque mente sua solatia excudisset ea, quae mitigantem haberent et efficacem aegritudinum levationem... Utique igitur non jure dici potest, nihil omnino commoveri Vergilianum heroem, nec quicquam admodum agere ut dolorem, quam « invitus » affert, leniat. Illud demum licet opinari eum parum dextere rem tractare arduam.

1. IV, 291.
2. IV, 390-391. Benevolam istam conjecturam mutuor ab opere cui titulus est « *Dissertations on Virgil, by* Holdsworth *and* Spence. » Nonnullis etiam in codicibus, nec contemnendis (de quo v. Ribbeck et Forbiger, i. h. v.), legitur : « multa *volentem* dicere », non « multa *parantem*... » Forsitan *parantem* scripsere lectores quidam, versus *Aen.* II, 791 memores, ubi quoque Aeneas hiscit ac silet. Nescio egomet an recto correctum illud fuerit, si correctum fuit. Vergilius facundum facere heroem suum potuisset, cum et exemplum Apolloniani Jasonis ante oculos haberet, quem Juno loquelae illecebris donaverat. Neque enim inficete Medeam alloquitur. Aeneae vero orationibus imperatoriam quandam et romanam brevitatem inesse multo magis decuit.

Adde quod ea crimina, quae adversus eum Dido injicit, non omnia pariter justa veraque videantur. Quippe quae « perfidum » eum haud semel nominet. An vero quia improviso et clanculo fugere voluit?

> *Dissimulare* etiam *sperasti*, perfide, tantum
> Posse nefas, *tacitusque mea decedere terra?*

At supra monuit poeta non id esse Aeneae consilium. Imperavit sane ille Mnestheo Sergestoque « classem aptarent taciti »

> ... et quae rebus sit causa novandis
> Dissimulent;...

verum interea quaesiturus ipse est aptam occasionem ut se profecturum Didoni ingenue denuntiet; ita ut paulo post istud affirmare haud immerito queat :

> neque ego hanc abscondere furto
> Speravi, ne finge, fugam...

An vero propter hoc « perfidiam » ejus Dido incusat quia datam fidem violaverit? At nunquam dedisse, et illa ipsa testantur quae prius narravit poeta, et Aeneas quoque idem profitetur (quem quidem mentiri non consentaneum est) :

> nec conjugis unquam
> Praetendi taedas aut haec in foedera veni.

Auditu sit illud durum, et cum aspera trucique sinceritate ab Aenea enuntiatum, concedo; nihilominus tamen verum est. Illa igitur demum sunt quae jure quis in Aenea reprehendere possit, sive quod amorem Didonis ab illa sibi ultro oblatum non repudiaverit, sive quod saltem non satis crebro monuerit, se nunquam eam vocaturum esse « conjugem; » — difficiliorem vero « medio de fonte leporum » admonitionem...

Quod si denique causas inquirentes cur tantopere ple-

risque lectoribus Aeneas displiceat, solitos qui dicuntur fuisse antiquorum, imprimis in heroico aevo, mores respexerimus, nihil aliud agere Aeneam facile videbimus quam quod ante illum multi heroes egisse dicuntur : inter quos Jaso et Theseus.

Nulla enim esse potest controversia quin priscis remotissimorum temporum viris plane inauditus et inexpertus amor iste fuerit, quo vir amans amatae feminae seque totam tradenti obligatum se putat eo ipso mutuo amore, quasi firmissimo vinculo, ideoque in ejus obsequium, quanquam viribus et ingenio melior, velut si de suo jure decedat, inflectitur.

Mulieres igitur illi, quotienscumque non ut puerorum genetrices sibi adjungunt (tunc enim stabili conubio jungendas esse plerumque intellegunt), sicuti demum voluptatis instrumenta quaedam habere solent; in quae nulla lege ad debitum quodpiam officium obstringantur. Fugitivo tantummodo cum iis oblectamento fruuntur, nec aliud quid polliceri se posse arbitrantur, quam quod Aeneas :

> ... Nec me meminisse pigebit Elissae
> dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

Neque enim in eorum mentem venit quod hujuscemodi amor aliud quam bellicae aut errantis vitae[1] diverticulum quoddam esse queat[2]. Ea est omnium heroum, quibus in Graecorum aut Latinorum, vel epicis, vel tragicis vel lyricis scriptis occurrimus, communis sententia; ii sunt soliti mores, ea legitima et ordinaria consuetudo[3].

1. Bene Dido Aeneam nominat : « *hostem*... superbum. » IV, 424. Sicut optime PEERLKAMP « Vergilius hoc (i. e. scilicet *hostem*] dicit sensu romano. » V. infra, p. 87, n. 1.
2. Cf. in Euripidis *Medea* Jasonem, non aliter quam Aeneas et sentientem et loquentem. — Apud Apollonium quoque, paulum abest ut Medeam Jaso vixdum a Colchide profectus derelinquat (l. IV, 338 sqq.)
3. De hoc quoque non inepte P. CATROU, *Virg.*, IV, p. 129 : « *Il est un certain nombre de gens... qui se sont récriés contre l'insensibilité d'Énée... Étrange corruption de nos mœurs! L'endroit de l'Énéide qui fut peut-être le plus approuvé des Romains s'attire le plus la censure d'un siècle qui,* etc. » Cf. CONINGTON, *Introd.*, p. 12.

Neque igitur novum et inusitatum quodvis Aeneae actis aut dictis inest.

Immo contra, multo minus justas et probabiles causas Jaso Theseusque Ariadnae ac Medeae deserendae habuerunt, quam Didonis Aeneas[1]. Namque neque ullo, ut vidimus, Didoni sacramento se alligavit, et monstrata a Diis promissaque regna, nec sibi solum destinata, sed suis et filio[2], quaesiturus abit.

Eaedem ergo ferme ei sunt relinquendae Didonis causae, quae Ulyssi relinquendae Circae aut Calypsonis; dum contra nihil, nisi fastidium, Theseum, nisi potentioris ac ditioris conjugii ambitio, Jasonem incitat.

Unde igitur fit ut Theseus ac Jaso legentibus nobis multo minus invisi et ingrati sint quam « pius » Aeneas? Quam ob causam ab illis amatae, immo abductae secum feminae proditionem, tanquam fictum aliquid habemus, quo nimium moveri nullo modo deceat; quartum vero Aeneidis librum legens, nemo est, opinor, qui non plusve minusve Aeneae succenseat, adeo ut nunc etiam non sit absurdum de rebus istis disputare, Aeneamque aut accusare aut excusare? Cur denique cum Vergilii multum referret, ita electi et dilecti herois verba et acta componere et exponere, ut semper ille laudabilis, et honestus, et commendatus lectoribus esset, cumque reipsa multum in hoc insudavisse credendus sit poeta, tamen inepte et loqui et agere Aeneas videatur, ac vituperationem nostram atque invidiam subeat?...

Non equidem hic Vergilii in confingenda Aeneae indole imperitiam, sed nimiam in describenda Didone peritiam incusem. Quippe quae ingenio et moribus valde dissimilis mulieribus iis, quas Jaso et Theseus dereliquerant, nobis ostendatur. Ariadna enim et Medea ab Apollonio et Catullo depinguntur tanquam leves temerariaeque puellulae, ignoti hactenus amoris concupiscentia trepidantes,

1. Cf. Conington, *Introd.*, p. 12 et 13.
2. *Aen.*, IV, 354-355.

corporeis illecebris unice subitoque allectae, nulla bona conscientia, nullo pudore refrenatae, obvio sese heroi, nullam probabilem ob causam cumque indecora festinatione, ultro offerentes? Minime igitur, ut ita dicam, penitus descendisse, minime radicatos esse earum affectus, facile sentimus; minime ergo eas miserandi operae pretium esse. Neque magis, — ut jamjam comperiemus, — misericordiam nostram desertarum earundem vel questus vel irae alliciunt. Didonem contra, quot et quam felicibus artificiis poeta significaverit, insano et immenso amore fuisse captam, vidimus, amoremque istum vitae ejus commixtum adeo coalescere statim intellegimus, ut illam eo decepto non mori non possit.

Illa autem causa est cur Jasoni et Theseo Ariadnam Medeamque *relinquentibus* minime indignemur, Aeneae vero Didonem *prodenti* ac *deserenti* succenseamus; quia nempe illi parum quidem amantes, parum et ipsi rursus amati[1] nobis videntur, Aeneae vero Didonem et animo et corpore totam esse[2] facile apparet.

Quamobrem Aeneam alium fuisse nihil est quod optemus; illud demum desiderandum est quod Didoni sit propior. Non ipse sibi Aeneas, sed Dido Aeneae nocet[3].

1. Cur Medea Jasonem secuta sit, ignorare se Apollonius fatetur ipse (IV, initio):

ἦ γὰρ ἔμοιγε
ἀμφασίῃ νόος ἔνδον ἑλίσσεται ὁρμαίνοντι,
ἢ ἔμεν ἄτης πῆμα δυσιμέρου, ἦ τό γ' ἐνίσπω
φύζαν ἀεικελίην, ᾗ κάλλιπεν ἔθνεα Κόλχων.

2. J. Henry, *Aeneidea*, I, 635 : « *Dido... : perhaps the most perfect embodiment of the disinterested love.* »

3. De hoc vide ingeniosam dissertationem quam suae Vergilii editioni praefixit Conington : « ... *A story of the heroic time of Greece, treated in an essentially modern spirit, was sure to leave a sense of incongruity on the mind, not only of a homeric student, but of a more popular reader... He could scarcely fail to be struck with an essential want of consistency in the drawing of the principal figures, which being homeric, must necessarily be old, and being Virgilian must as necessarily be new. It is, I think, which constitutes the secret of the dissatisfaction which is generally felt with the character of Aeneas.* » T. II, *Introd.*, p. 11. — Quibus ego observationibus magnam veritatis partem inesse arbitror; non omnino tamen placent. Aeneas mihi videtur molestus esse, quia totus « *old* », sive *homericus* est, Dido vero mere « *new* » et *vergiliana*. Rectius infra (p. 13) Conington : « *Other heroes*

X

DE QUERENTIS DIDONIS HUMILITATE, QUOUSQUE DEMISSA DESCENDAT

Neque autem vel perlevem Vergilius operam impendit ut paulo minus Didoni, paulo magis rursum Aeneae faveamus.

Quanquam illud facile, ut opinor, fieri potuit, si scilicet ubi primum regina Aeneae consilium cognoverat, extemplo furibunda desaeviret, scelestam proditionem, pessimam benefactorum gratiam criminata, statimque ab initio in eas imprecationes inveheretur, quibus futura Carthaginiensium cum Romanis bella praesagiri volebat. Interim autem Aeneas ipse in corde dilaceratus, « Jovis » tamen « monitis immota tenens lumina », Didonem solari brevibus, sed blandis alloquiis, et cum militari quadam, benigna tamen, gravitate, conaretur. Regina vero nobis ostenderetur spretum amorem suum potius indignata quam proficiscentem amatum virum deflens, superbo potius irarum aestu accensa quam molli aegritudine oppressa, atroci denique potius furore frendens quam miserabili desperatione afflicta... Quin etiam quid prohibuit quominus Vergilius fingeret eam tentavisse ut Trojanis naves soluturis obstaret, ac postremo, — nihilominus iis, per aliquam faventium Aeneae Deorum fraudem, effugientibus, — prae rabie, Amatae instar abalienatam,

have loved and left as Aeneas does; few have had as strong a justification as he can plead for his flight; but no one seems to us so traitorous as Aeneas except it be Jason; and the reason lies in the depth of colouring with which Virgil, like Euripides, has painted the agonies of the abandoned queen. » Nec solum « *the agonies* », sed etiam nascentes et crescentes ejus amores. Jam Aeneae infensi, Didoni faventes sumus antequam in questus et iras Dido erumpat. « *The novelty is in the interest which Virgil has excited in the situation and feelings of his forsaken heroine. He has struck the chord of modern passion, and powerfully has it responded;* more powerfully perhaps, than the minstrel himself expected. *Had Homer written of Dido, whe should probably have been called on to sympathize with her but little; our feelings would have been with the hero,* etc. » In his omnino cum britannico philologo consentio.

sibi ipsi mortem conscivisse? Quod quidem Vergilius, si libuisset, eo facilius potuisset quod illa ipsa, quae supra memoravimus de Elissae indole ab historicis priscis fuisse vulgata, suaderent ut tyriae reginae agreste aliquid et intractabile infunderet.

Enimvero quarti libri finem in hunc ferme modum disponendi haud scio an mens quaedam Vergilium subierit. Nam quando primum Dido Aeneam his verbis compellat :

> Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
> posse nefas,

exordium profecto stomachantis illud est, et ad majora mox sese invecturae. Exinde vero cursum Vergilius protinus mutat, et quasi eum ipsum proditae Didonis quodammodo puderet, ad ea potius se refert quae ad nostram reginae conciliandam benevolentiam idonea sint. Exorsa igitur feroci et altisono ore Dido, ad submissiora subito descendit :

> ... perfide, tantum
> posse nefas, *tacitusque mea decedere terra.*

Non jam igitur, animadvertas quaeso, consilium ipsum « decedendi » — (idque lenocinantis εὐφημισμὸς est) — objurgat; silentium tantummodo profecturi vituperandum censet. Et jam inde ab hoc loco Didonem Vergilius oculis nostris subjicit magis ac magis (graeco hic quoque venia sit, utpote meliori, opinor, verbo) ταπεινουμένην; illiusque humilitatis, prolabentis usque ad extrema, singulis gradibus explicandis libentissime vacat. Quippe quod non solum in hac priore Didonis ad Aeneam oratiuncula attingat, sed in duobus insuper locis, ubi tales ad lacrimas precesque conversam Didonem ostendit.

Initio autem, cum nescit etiamtum regina num immotum fixumque animo Aeneae sit abire, ejus constantiam sollerter aggressa tentat, si quam praeteritorum, vel

X

DE QUERENTIS DIDONIS HUMILITATE, QUOUSQUE DEMISSA DESCENDAT

Neque autem vel perlevem Vergilius operam impendit ut paulo minus Didoni, paulo magis rursum Aeneae faveamus.

Quanquam illud facile, ut opinor, fieri potuit, si scilicet ubi primum regina Aeneae consilium cognoverat, extemplo furibunda desaeviret, scelestam proditionem, pessimam benefactorum gratiam criminata, statimque ab initio in eas imprecationes inveheretur, quibus futura Carthaginiensium cum Romanis bella poeta praesagiri volebat. Interim autem Aeneas ipse in corde dilaceratus, « Jovis » tamen « monitis immota tenens lumina », Didonem solari brevibus, sed blandis alloquiis, et cum militari quadam, benigna tamen, gravitate, conaretur. Regina vero nobis ostenderetur spretum amorem suum potius indignata quam proficiscentem amatum virum deflens, superbo potius irarum aestu accensa quam molli aegritudine oppressa, atroci denique potius furore frendens quam miserabili desperatione afflicta... Quin etiam quid prohibuit quominus Vergilius fingeret eam tentavisse ut Trojanis naves soluturis obstaret, ac postremo, — nihilominus iis, per aliquam faventium Aeneae Deorum fraudem, effugientibus, — prae rabie, Amatae instar abalienatam,

have loved and left as Aeneas does; few have had as strong a justification as he can plead for his flight; but no one seems to us so traitorous as Aeneas except it be Jason; and the reason lies in the depth of colouring with which Virgil, like Euripides, has painted the agonies of the abandoned queen. » Nec solum « *the agonies* », sed etiam nascentes et crescentes ejus amores. Jam Aeneae infensi, Didoni faventes sumus antequam in questus et iras Dido erumpat. « *The novelty is in the interest which Virgil has excited in the situation and feelings of his forsaken heroine. He has struck the chord of modern passion, and powerfully has it responded;* more powerfully perhaps, than the minstrel himself expected. *Had Homer written of Dido, whe should probably have been called on to sympathize with her but little; our feelings would have been with the hero,* etc. » In his omnino cum britannico philologo consentio.

sibi ipsi mortem conscivisse? Quod quidem Vergilius, si libuisset, eo facilius potuisset quod illa ipsa, quae supra memoravimus de Elissae indole ab historicis priscis fuisse vulgata, suaderent ut tyriae reginae agreste aliquid et intractabile infunderet.

Enimvero quarti libri finem in hunc ferme modum disponendi haud scio an mens quaedam Vergilium subierit. Nam quando primum Dido Aeneam his verbis compellat :

> Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
> posse nefas,

exordium profecto stomachantis illud est, et ad majora mox sese invecturae. Exinde vero cursum Vergilius protinus mutat, et quasi eum ipsum proditae Didonis quodammodo puderet, ad ea potius se refert quae ad nostram reginae conciliandam benevolentiam idonea sint. Exorsa igitur feroci et altisono ore Dido, ad submissiora subito descendit :

> ... perfide, tantum
> posse nefas, *tacitusque mea decedere terra.*

Non jam igitur, animadvertas quaeso, consilium ipsum « decedendi » — (idque lenocinantis εὐφημισμὸς est) — objurgat; silentium tantummodo profecturi vituperandum censet. Et jam inde ab hoc loco Didonem Vergilius oculis nostris subjicit magis ac magis (graeco hic quoque venia sit, utpote meliori, opinor, verbo) ταπεινουμένην; illiusque humilitatis, prolabentis usque ad extrema, singulis gradibus explicandis libentissime vacat. Quippe quod non solum in hac priore Didonis ad Aeneam oratiuncula attingat, sed in duobus insuper locis, ubi tales ad lacrimas precesque conversam Didonem ostendit.

Initio autem, cum nescit etiamtum regina num immotum fixumque animo Aeneae sit abire, ejus constantiam sollerter aggressa tentat, si quam praeteritorum, vel

potius recentium, amorum memoriam renovare, si quod accendere desiderium queat; illudque castissimis tamen verbis praestringit :

> *Mene* fugis? Per ego *has lacrimas* dextramque tuam te
> (quando aliud mihi jam miserae nihil ipsa reliqui),
> *per conubia nostra,* per *inceptos* hymenaeos,
> *si bene quid de te merui* [1], *fuit aut tibi quicquam*
> *dulce meum,* miserere...

Nonne etiam tum vere muliebri arte ei insidiari dicas, cum addit :

> ... *Cui me* moribundam *deseris,* hospes?
> Quid moror?... <an> *captam* ducat Gaetulus Iarbas?

quasi nempe velit incitare ut metuat ne alteri captiva tradatur quam habuit ipse femina.

Immo non dubitat vergiliana Dido apertius ad se, vel in exiguum tempus, revocare amantem, hoc voto :

> Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
> *ante fugam* suboles...

quibus quidem verbis quis est qui offendatur [2], cum voti hujus audaciam sequentia mire temperent :

> Si quis mihi parvulus aula
> luderet Aeneas, qui te tamen [3] ore referret...

Nec profecto quicquam vetat, cum nihil muliebre ab indole Didonis alienum esse adhucusque praemoniti simus, quin nunc etiam nobis eam fingamus, matrem ex Aenea

1. Tametsi quosdam interpretes satis audax verbum illud offendit, planissime dictum est, et recte Conington explanat : « *If you ever found any pleasure in me.* »
2. Conington : « *Gossrau supposes that the passage could have been interpolated before the time of Juvenal who alludes to it Sat. V* »; sed illam conjecturam nihil in codd. confirmat (v. Ribbeck, Guthling).
3. Alii « *tantum* ». Sed « *tamen* » in optimis codd. legitur, neque explicatu difficile est : « Tamen *has a consolatory force: whose features, in spite of all, might remind me of you.* » Conington. Item Kappes : « Tamen : *doch wenigstens.* »

factam, profecti conjugis desiderium filii amore lenientem. Neque illa a vergiliano colore absona sit imago Didonis, gremio infantem foventis (sicut et nuper Ascanium fovere solita erat) eique digito monstrantis qua abeuntis patris naves altum olim tenuerint...

Ceterum multo magis dignitatis suae immemorem Vergilius nobis infra ostendit Didonem. Nam in iis, quibus prius Aeneam aggreditur illa, precibus, « hymenaeum » adhuc et « conubii » « conjugiique » leges invocat, ita prorsus testata se sibi justam uxorem, matronaliter (ut Epigrammatum verbo utar) nuptam videri. Deinceps vero hoc se nomine abdicat, deque suo jure decedit :

> Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro...

Quin etiam, postquam « talibus orantem » inexorabilis Aeneas repudiavit, nondum tamen ista Didonis ex animo cogitatio depellitur, sed noctu, quasi reviviscens, aegram mentem pertinaciter obsidet :

> *Iliacas* igitur *classes* atque ultima [1] Teucrum
> Jussa *sequar*?...
> Quis me autem, *fac velle,* sinet, ratibusque superbis
> Invisam accipiet?...
> Quid tum? Sola fuga nautas [2] comitabor ovantes?
> An Tyriis omnique manu stipata meorum
> Inferar [3]?...

Quod quidem ad consilia adeo humilia, immo probrosa, Didonem descendere voluit Vergilius, nequeunt nonnulli critici a se impetrare ut credant. « Reginamne Carthaginis, — unus ex illis exclamat [4], — et tanti imperii condi-

1. I. e. extrema, infima. Peerlkamp : « Recte Heynius laudat interpretationem Pomponii Sabini : quasi, quod si naviget cum Teucris, sit futura serva. » Benoist, Ladewig-Schaper, Conington omnino fere pariter hoc intellegunt.
2. *Nautas,* ergo rusticos homines et contumeliosos et qui feminae, *soli* ducem suum sequenti, conviciarentur. Cf. Kvičala, *Neue Beiträge,* p. 168.
3. Pessime Conington, Benoist, Forbiger : « *Inferar,* insequar et aggrediar classe. » Cf. Kvičala, *neue Beiträge,* p. 165-170, ubi totus hic locus optime explanatur ; — et J. Henry, *Aen.,* II, 787 : « *Shall I be borne, carried on* (*in my fleet to join the fleet of Aeneas*)? »
4. Henry, *Aeneid.,* in h. v. : « *The queen and founder of Carthage, the noble, generous, high-minded Dido, coldly deliberates whether or not to*

tricem, illam ingenuam, generosam magnanimamque Didonem, frigide secum deliberare, utrum, necne, externum hospitem suum comitari debeat, vel etiam servae ac pellicis ritu! Apage istius modi interpretationem!... » Istius modi tamen interpretatio extra dubium ponitur, quoniam non solum aliqua verba de hoc obiter jacere eam Vergilius fecit, sed serio sese ipsam interrogare utrum *sola* Aeneam secutura sit, an totam Tyriorum suorum gentem secum abductura... Obliviscitur profecto dignitatis suae, desperatione « perdita, » Poenorum regina; verum Vergilius novit flagitiosam humanae voluntatis, quotiens cupiditate urgente deerrat, ignaviam, et, ut ita dicam, sordes; quas quidem cum philosophica quadam inclementia reclusas philosophiae studiosus poeta denudavit. Et ea ipsa sunt quae Vergilium dignum efficiant qui cum Lucretio conferatur; iis maxime testatur in locis se non merum Alexandrinum fuisse.

Nec magis involuta aut imminuta eminet e Didonis querelis illa humani animi, quando vehementi dolore conturbatur, probrosa imbecillitas. Cur enim bis Aeneam illa orat ne statim proficiscatur, morasque postulat? Num insidiatura Trojanis, sicut Aeneae Mercurius persuadet? Num dolos meditata, sicut et inepti commentatores censuerunt? Minime vero; nam vix perbrevi temporis momento et in caeco exaestuantis fervore irae, cogitatio vim intentandi Trojanis animum ejus obrepit. Neque est cur eam mentiri conjiciamus

requiem spatiumque furori [1]

tantummodo a se posci adfirmantem, quippe quae paulatim

accompany a foreigner and refugee she knows not whither, in the capacity of the serva *and* pellex! *Fie on the interpretation! fie on the reader who, accepting it, does not lay down the book, closed for ever on Dido and her shame! But... Dido asks herself no such question. Her own answer abundantly shows the does not,* etc. »

1. IV, 433 : Tempus *inane* peto. Si SERVIO, cui WUNDERLICH adsentitur, credendum, hoc verbo « *inane* » Didonem ad humiliora etiam nunc descendere

sibi velit infigi opinionem illam, discessurum quondam Aeneam ac « rumpendos » esse « tantos amores; » quasi retardata minueretur aerumna [1] speratusque dolor hebetior fieret [2].

Quale autem revera genus sit, qualis intima, ut ita dicam, ejus doloris natura, quo proficiscens eam Aeneas affecturus sit, illud quoque mire perspexit eruditissimus animorum humanorum indagator Vergilius. Propter hoc enim sibi necessario abjiciendam esse vitam Dido sentit, quia *solitudinem* horret. Nempe et aliquem amare et ab aliquo amari Didoni opus esse jam prius praemoniti fuimus, neque ei sororis sufficere amicitiam : quod quidem, eo quo Annae indolem informavit modo, praeclare intellectum nobis facit Vergilius.

Adveniente igitur Aenea, praecipiti quodam impetu obviam placito advenae sese tulit, et cum quadam effusione sui, « nihil sibi ipsa miserae reliquit, » exstincto pudore, conculcata fama, neglectis regni officiis... Se suaque ei omnia ducenda, imperanda, habenda dedidit. Nunc vero cum ista omnia ille jam habere nolit, priore olim Dido amore decepta altero iterum decipitur, *sola*que rursus in se ipsam postridie recidet. Quod autem adeo reformidat mulier imbellis [3], ut ne uno quidem momento veniat ei in

existimandum sit. Ita enim SERVIUS : « *inane :* sine officio coeeundi, » vel verecundius WUNDERLICH : « (tempus) quo nullum amoris commercium regina expetet. » Tametsi iste sensus supplementum quoddam probationis huic hujus dissertationis parti adlaturus sit, tamen potiorem sequor anonymi commentatoris apud SERVIUM explanationem : « tempus quo vacuus et otiosus » Aeneas futurus est. Vel etiam istam : « tempus inane,... quasi non magnam rem. » Cf. CONINGTON, LADEWIG-SCHAPER, KAPPES, FORBIGER : « Tempus *inane* est, quo nihil agitur. »

1. Sic OVID., *Her.*, VII, 179 :

Dum tempore et usu
fortiter edisco tristia posse pati.

2. Quantum adhuc etiam Dido Aeneam diligat, Vergilius vv. 309 sqq., 429 sqq. significat. Bis repetitum istud demonstrat non fictum esse timorem quem super Aenea, illa anni tempestate profecturo, concipere se Dido adfirmat.

3. Cf IV, 451 : *taedet* coeli convexa tueri — et 450 : *fatis exterrita* Dido. — Bis se ab amato viro derelictam videt, et instantem eandem, quam jam prius

mentem, instaurandam esse ei, Aenea profecto, vitam, quam antea degerit[1], tametsi et regnum curandum, et urbs constituenda, et Anna amica supersit. Sed ista melius quam ego possim expressit poeta, illo Didonis conficto somnio, quo solitudinis istum quasi puerilem, potentissimum tamen, metum, tam vivide repraesentavit :

> Agit ipse furentem
> in somnis ferus Aeneas ; *semperque relinqui*
> *sola sibi, semper longam incomitata videtur*
> *ire viam et Tyrios deserta quaerere terra*[2].

Nunc autem nobis inquirendum quid in his querelis aut precibus ab Euripidis *Medea*, Apolloniique *Hypsipyla* Catullique *Medea* Vergilius extraxerit. Namque ibi nihil omnino ex homerica Calypsone vel Circa ducendum fuisse perspicuum est. Sed de aliis quoque paucissima.

Irascitur enim sive Apolloniana, sive Euripidea Medea potius quam dolet. Nec mirum ; quippe cui ut nimia superbia (apud utrumque poetam) insit, parumque animo insitus sit (apud Apollonium saltem) erga Jasonem amor, — ita nimium graves ulciscendi causae (apud Euripidem praecipue) derelictae Jasonis uxori suppetant, quam ut descendere ad illa postulanda possit quae Dido contra perpessuram se libenter declaret, dummodo vel tantillum annuerit Aeneas oranti. Medeam igitur, tum ab Euripide,

experta est, calamitatem perculsa stupet. Idem affectus e vers. 586 sqq. eminet :

> Regina e speculis ut primum albescere lucem
> vidit et aequatis classem procedere velis,
> litoraque et vacuos sensit sine remige portus...

quem locum unus praeclare illustravit Peerlkamp : « Cur hic *sensit ?* Nam ubi *viderat* classem provectam, litora et portus esse vacuos ipse intellegere poterat. *Sensit* nimirum est « cum tacito ac gravi maerore cernit. » Et est talis solitudo, ubi paulo ante grata et hilaris erat frequentia, ad *sensum* tristissima. »

1. Cf. IV, 550 : Degere more *ferae*. — De verbis istis, quorum sensus in multam disceptationem venit, vide infra, XII.

2. Alteram quoque moriendi esse causam Didoni Vergilius monet : famam scilicet (IV, 321-322 ; cf. 173 sqq., 191 sqq.). Sed illam obiter tantummodo attingit, neque Didonem dignitas sua praecipue ad voluntariam sui necem adducit, sed dolor. Cf. IV, 474 : Ergo ubi concepit furias *evicta dolore*. — Disputabitur infra num inesse quandam Didoni peccati conscientiam Vergilius voluerit.

cum ab Apollonio informatam, si nobis mente repraesentare voluerimus, indignantem videbimus quod delusa contemptaque fuerit, stomachantem, denique furentem : « lacrimas » vero illas, et « gemitus », et « fletus » quibus Didonem saepius[1] indulsisse vel inter commotos irarum aestus Vergilius fecit, quis Medeae pictor aut sculptor, lecto Euripide vel Apollonio[2], adfingat ?

Catullianae quidem Ariadnae non desunt lacrimae, nisi magis proprie lacrimulae dicendae sint. Nam etiamsi illa in multo horridiore condicione est quam Dido, — utpote cui vera intentetur in deserta insula solitudo, — tamen multo minus alte dolere, multo minus sincere lamentari videtur[3]. Tam « frigiduli[4] » (ut Catullianum verbum usurpem) singultus ex illius ore exeunt, ut nunquam vere credere illa videatur, se jamnunc « dilacerandam feris, alitibusque praedam[5] » projici. Loquitur quidem Ariadna de instante morte, sed longe abest ut, veluti Dido, praematurum exitum tanquam optatam liberationem acciat ;

1. *Aen.* IV, 409, 413, 437, 439, 548, 553, 649.

2. Eurip. *Med.*, 37 sqq :

> βαρεῖα γὰρ φρὴν, οὐδ' ἀνέξεται κακῶς
> πάσχουσα,

inquit ejus nutrix. Cf. 171, 172, 797. De caedibus ab ea patratis, v. 167, 486 ; de magicis artibus, v. 285, 292. Itaque vix subindicatur dolor ejus v. 24, 30. — Vix apparent rara amissi Jasonis amoris desideria (v. 496, 497. Cf. 588). — Idem fere potest animadverti in Apolloniana Medea, quando (*Argon,* IV, v. 350-393) queritur quod Jaso comitesque sui dubitent num ipsam sint relicturi. Non dolet, non lamentatur, sed suorum ultionem ante omnia reformidat, prodituro et ingrato heroi irascitur, immo magicae suae potentiae memor atrocibus minis indulget (v. 381 sqq.) :

> ... "Ως φάτ' ἀναζείουσα βαρὺν χόλον· ἵετο δ' ἥγε
> νῆα καταφλέξαι διά τ' ἔμπεδα πάντα κεάσσαι,
> ἐν δὲ πεσεῖν αὐτὴ μαλερῷ πυρί. Τοῖα δ' Ἰήσων
> μειλιχίοις ἐπέεσσιν ὑποδδείσας προσέειπεν... »

Quantum prohibeat magica illa Medeae potentia, — qua quidem saevius utitur, — ne misericordia legentium ei concilietur, ostendit J. Girard, *Études sur la Poésie grecque*, p. 332-335.

3. Cf. LXIV, 136, 202, 249. — Sensu etiam carere ejus querelae videntur, nec satis intelleguntur vv. 182 sqq.

4. LXIV, 132. — Cf. 61 : maestis Minois ocellis.

5. LXIV, 152-153.

Bacchum potius adventantem Ariadna subaudit[1], consolaturamque « melioris mariti[2] » pompam non ita procul adspicit. Neque adeo « externata malo[3] » est, sive ut mulieres universas quae sint in orbe terrarum, longa nimis oratione, admonere supersedeat[4], ne jam infidis viris confidant; sive ut in circumjectos fluctus procurrens, bellula nunc etiam muliercula, non attollat

nudatae... tegminae surae[5].

Ita fuit mythologicis ornamentis circumdata illa Minois filiae fabula ut seria videri non possit, nec veram misericordiam commoveat, neque humanum sonet.

Unum tamen e Catullo Vergilius decerpsisse mihi videtur :

Si tibi non cordi fuerant conubia nostra
... attamen in vostras potuisti ducere sedes,
quae tibi jucundo famularer serva labore[6], etc.

Quod quidem cum illis quarti libri supra memoratis versibus comparandum est, ubi secum Dido quid actura sit reputans inducitur. Quod tamen assumptum Vergilius non commisit ut crudum prorsus neque immutatum redderet. Sunt enim cogitationes quaedam, quas, etsi a vehementer commoto animo admissas, verbis tamen palam proferre vix audeat quivis. Quanquam igitur ad omnia paratam esse Didonem suspicari nobis licet, abest tamen ut nomen saltem famulitii non horreat ; ac tanto

1. Ovidianae Ariadnae (*Fast.* III, 461 sqq.) Catulliana persimilis est :

Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum...
Sorte tori gaudens. Quid flebam rustica ? dixit ;
Utiliter nobis perfidus ille fuit.

2. LXIV, 165.
3. LXIV, 143 sqq.
4. OVID., *Her.*, II, 79.
5. LXIV, 130. — Cf. COUAT, *Et. sur Catulle*, p. 220 sq., 233.
6. LXIV, 158 sqq. — ELLIS, *Comm. on Catullus*, p. 311, recte confert EURIPIDEM, frag. CXXXIII, ed. NAUCK :

Ἄγου δέ μ', ὦ ξέν', εἴτε πρόσπολον θέλεις
εἴτ' ἄλοχον, εἴτε δμωίδα...

minus deceat jam maturam aetate mulierem, eandemque reginam, se ipsam sibi ultro fingere in posterum « candida permulcentem » Aeneae (tanquam Ariadnam Thesei)

.....liquidis vestigia lymphis,

Aeneaeque lectum « purpura veste » consternentem... Tantas tamque flagitiosas rerum suarum mutationes animo sine pudore praecipere homericarum feminarum est ; sunt Vergilianae fastidiosiores.

De Apollonio quoque mutuari aliquid Vergilium animadvertere est, scilicet illud Hypsipylae a Jasone desertae[1] :

ἥν ἄρα δή με θεοὶ δώωσι τεκέσθαι[2].

Sed neque illud tale profert quale invenit. Nam cum sicco quodam laconismo hoc de Hypsipylae ore votum excidit, atque utpote quod uno tantum verbo, et illo proprio, enuntiatum sit, inurbanum nescio quid et agreste habet[3]. Vergilius contra spem eandem, pluribus explicatam verbis, eo ipso extenuat, illamque pariendi appetentiam non φυσιολογικῷ, Apollonii instar, vocabulo significat, sed illa lepidiore mulieris, jamdudum matris factae, imagine ornatam dissimulat[4].

1. Id fere unum est, quo Didonis cum Aenea amor Jasonis cum Hypsipyla amorem (in *Argon.* primo libro narratum) referat. Perperam CONINGTON, *Introd.*, p. XXXVII, imitatum fuisse Vergilium dicit hunc locum Apollonii, etiamsi fatetur illud factum fuisse « *in very different colours.* »
2. *Argon.*, I, 899.
3. Quod OVIDIUS (*Heroid.*, VII, 135) repetit, sed mutata et vitiata :

Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas,
parsque tui lateat corpore clausa meo.

Ovidiana igitur Dido *metuit* ne filium susceptura sit ex Aenea, non *sperat*.
4. Nihil aliud ex antiquis poetis his in locis in rem suam convertisse Vergilium arbitror, etsi insuper conferantur a plerisque commentatoribus cum *Aen.*, IV, 320-326, 534-536, loci sequentes :

SOPH., *El.*, 812 sq. : ...Νῦν δὲ ποῖ με χρὴ μολεῖν ;
Μόνη γάρ εἰμι, κ. τ. λ.

XI

DE FURENTIS DIDONIS IMPRECATIONIBUS ET IRA

Nescio vero an illi Didonis dolentis et ad submittendos animos nimio dolore coactae tam accuratae descriptioni, optime consonet ea, quae sequitur nec minus luculenta est, reginae furorum explicatio.

Maestus enim ille dolor et illa attritae mentis quasi prostratio tam bene tum ejus ipsius indolis accommodata, cum humanae omni naturae consentanea nobis videntur, ut vix credere possimus eandem illam mulierem paulo post debacchari usque adeo posse. Quamvis vel maxime inter se discrepantes adfectus propiores alii aliis revera erumpere soleant, quamvis effera sit Dido

> mentem <que> insania mutet;

quamvis etiam Vergilius, ea qua est sollertia, per lenta demum incrementa fecerit illam ad extrema furoris ad-

EURIP., *Med.*, 502 sqq. : Νῦν ποῖ τράπωμαι; Πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας, κ. τ. λ.
ID., *Suppl.*, 1094 sqq. : .....Τί δή χρὴ τὸν ταλάιπωρόν με δρᾶν;
Στείχειν πρὸς οἴκους;...
Ἢ πρὸς μέλαθρα τοῦδε Καπανέως μόλω, κ. τ. λ.
ENNIUS, *Med.*, fr. x (*Ribbeck*) :

> Quo nunc me vortam? quod iter incipiam ingredi?
> Domum paternamne, anne ad Peliae filias?

APOLL., IV, 378 sq. : .....πῶς ἵξομαι ὄμματα πατρός; κ. τ. λ.

denique CATULL., LXIV, 177-183 : Nam quo me referam? ...Dictaeos-ne petam montes?... An patris auxilium sperem, etc.

At vero egomet, — quamvis in ista similium locorum collatione delectentur docti viri (cf. TISSOT, EICHHOFF, PATIN, CONINGTON, HENRY) —, imitationes illas non appello. Quippe cui non in mentem veniat, personae cujuslibet ἀπορίαν describenti, haec illam inducere dicentem « Quo me vertam?... » Cur non et hic citatur, tanquam si Vergilius meminisset, Caii Gracchi apud Ciceronem (*De Orat.*, III, 56) exclamatio? Interrogationis hujus ne formam quidem recordari Vergilium necesse fuit, ut Didonem se ipsam id interrogare faceret; sententiarum saltem et rerum, quae in hac interrogatione apud priores poetas insunt, quaeque praecipuae sunt, nihil ille omnino excerpsit.

scendere[1], — vix tamen in mentem nobis venire potest, feminam hanc, Aeneae adeo et animo et corpore devotam, mortem ei crudelem atque ignobilem primo optare :

> Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
> supplicia hausurum scopulis;

immo etiam, tam brevi tempore intermisso, deplorare quod nequeat

> abreptum divellere corpus et undis
> spargere, non socios, non ipsum absumere ferro
> Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis...

Quid sibi cruenta ista somnia volunt? Tantaene tenerrimis animis irae! Mitiorem profecto et moderatiorem Ariadna se praestat, quam minus tamen moderatam esse, majore injuria laesam et majorem in aerumnam demersam, liceat... Quippe quae ab Eumenidibus postulata supplicia non tam certis verbis designare neque tam saevis votis definire curet :

> Huc, huc adventate, meas audite querellas
> <et> quali solam Theseus me mente reliquit
> tali mente, Deae, funestet seque suosque[2].

Catullum tamen ibi Vergilius noluit sequi, Euripideamque aut Apollonianam[3] Medeam referre potius habuit; quam tamen, cum natura superbissima sit, et ultionis appetens[4], et fera, propterea magis verisimile est in tantas iratam debacchationes abripi.

1. Ipsis autem vocabulis quibus Dido Aeneam vicissim compellat, increscens ira significatur. IV, 323 : *hospes;* IV, 424 : *hostis.* Nempe in posteriore versu non veteribus interpretibus adsentior qui (apud SERV., i. h. l.) *hostem* interpretarentur tanquam *advenam, peregrinum, hospitem.* Hic meminisse decet GAII (*Dig.*, I, XVI, 234) : « Quos nos *hostes* appellamus, eos veteres *perduelles* appellabant per eam adjectionem indicantes cum quibus bellum esset. » V. supra, p. 73, n. 1.
2. LXIV, 195 sqq.
3. Cf. supra, p. 53 additam notam. — Insuper his materna Euripideae Medeae superbia laeditur, quo magis efferari naturale est.
4. *Argon.*, IV, v. 385-390 :

> ἐκ δέ σε πάτρης
> αὐτίκ' ἐμαί σ' ἐλάσειαν Ἐρινύες, etc.

Cur autem sic fecerit Vergilius, perspicuum est. Oportuit enim legentes paulatim adduci ad imprecationes istas, quarum gratia totum de Didone ἐπεισόδιον compositum fuisse fieri potest; ideoque paulatim et ipsam Didonem ad id furoris procedere ut ne immanissimae quidem exactae ab Aenea poenae odium hujus et ulciscendi cupiditatem explerent, sed et insuper gentis ab Aenea ortae immensas dari strages appeteret.

Carthaginiensium demum igitur cum Romanis futurae simultatis memoria Vergilium, ut opinor, induxit ac compulit, ut adeo effrenate excandescenti Didoni eos in animum sensus, ea in os verba injiceret, quae quidem non omnino ab ejus indole dissona, non omnino tamen consona videantur. Sed quanto magis alte dolet Dido quam priorum poetarum Medeae et Ariadnae, tanto minus debuit irasci. Feris istis maledictis et conviciis praecedentes elegi nocent.

XII

DE ULTIMA QUADAM MORITURAE DIDONIS ANIMI IMMUTATIONE

Atque illud quoque declarat Vergilium romano poematis sui consilio placendique Romanis desiderio fuisse coactum ut paulo plus aequo debacchantem Didonem fingeret, quod discessuro ab illa lectori istam furibundae carnificis Tisiphoneam quasi imaginem ultimam infigi et in perpetuum haerere non passus sit.

Intellegit enim ille excessisse a natura sua Didonem, atque in se postremo redire vult. Quae autem sit hujus conversionis alta, ut ita dicam, atque ima ratio, subtilissime detexisse Vergilium hic quoque fatendum est.

Namque secretum eam sensim subiisse Aeneae *contemptum* nobis ostendit, in illis primum versibus obscurius :

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, etc.

in istis deinde manifestius :

En dextra fidesque
quem secum Iliacos aiunt portare Penates,
quem subiisse humeris confectum aetate parentem, etc.

Quid his verbis significatur, nisi Didonem putavisse illius herois ingenio, quem Veneris filium dictitarent et de quo tam laudabilia narrarentur, molle ac tenerum aliquid inesse; bellicamque illius, vel nulli imparem, fortitudinem, non tamen foedari inhumana ista ferreaque suorum commilitonum duritia?... Ecce autem ceteris eum plane similem comperit : quippe qui non modo devotissimae sibi mulieris amorem promissis regnis anteponere non valeat, Didonemque suam, reviviscente subito ambitione, deserat, sed et aequo animo et « ovans » deserere videatur :

Num fletu ingemuit nostro? Num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit aut miseratus amantem est?

Jam igitur evanescit ex oculis ejus eximius ille ac perfectus heros, quem raris et peculiaribus animi dotibus viros omnes omni modo antecellentem sibi Dido amabili errore fingebat. Corruit falsa illa species, qua delusa fuit; et fuisse dolet, et nunc resipiscens mendaci personae irascitur, stultitiaeque ipsa suae, rupta fascinatione, succenset[1].

Inde fit ut « abolitus » nuper a Cupidine Sychaeus jam in Didonis animo quasi resurgat :

Tunc exaudiri voces et verba vocantis
visa viri, nox cum terras obscura teneret...

Neque ille resurgit et urget admissi ab uxore perjurii

1. De *ironia* quae Didonis questibus inest, cf. IV, 376-381, (quae vv. 345 et 356 respondent); 427, 432.

ultor[1]; neque infidae conjugi maledicit, sed illam « *vocat,* » quasi ignoscat et ad se miseram rursus acciat animulam... Neque semel Vergilius significat, quomodo paulatim in Didonis animo Sychaei renovetur memoria reconcilieturque gratia. Nam Sychaei nutricem Barcen eo ipso tempore inducit quo vim suae vitae regina jamjam illatura est[2]; et est ultima inter homines Barce quam Dido alloquatur. Denique, inter ipsa « novissima verba, » Didoni ultimum solacium est, quod « poenas inimico a fratre, *ulta virum,* receperit. »

Duplici igitur modo in quarto libro fatetur poeta, sibi ipsi, qui fecerit utrumque, Aeneam Didoni parem non videri. Postea autem idem illud quam planissime in sexto libro testatur, quando in Inferis conversari cum Sychaeo Didonem fingit, cujus quidem solus

aequat Sychaeus amorem[3].

1. Ceterum e IV, 457 sqq. videtur posse conjici, nunquam Didonem Sychaei memoriam colere destitisse :

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
conjugis antiqui, miro quod honore *colebat,*
velleribus niveis et festa *fronde* revinctum.

Haesisse jam hoc in loco Servium ipsum videmus : « Si amabat Aeneam, utique non coleret exstinctum maritum. » Cf. Kvičala, *Erklärung,* p. 133 sqq. Explanandumne est, quasi sit : « quod antea colebat »? « *Oder sollen wir annehmen, dass Dido, trotz der Liebe zu Aeneas und trotz der* non servata fides (v. 552), *doch die Gewohnheit* conjugis templum colere *und* festa fronde revincire *beibehiet?* »

Huic equidem opinioni libenter adsentiar; satis enim Dido particeps est adfectuum horum qui ad recentiora tempora magis pertinere videntur, ut arbitremur animum ejus plura, vel plane contraria, una continuisse et conciliasse.

2. Quod nutrices Didonis et Sychaei in narrationem suam acciverit Vergilius, causa esse potest quia in antiqua, cujus summam tantummodo per Justinum habemus, de Didone Tyro fugientis fabula, Didonis nutrix aliquas partes gerebat. (Illam a Pygmalione sublatam fuisse forsitan conjici potest).

3. *Aen.,* VI, 474. — Cf. Silius, *Pun.,* VIII, 146 :

Me quoque fors dulci quondam vir notus amore
exspectat, curas cupiens *aequare* priores.

Minus bene, aut saltem minus Vergilio convenienter, Ovidius, *Her.,* VII :

Sychaeo
ad quem, *me miseram, plena pudoris* eo.

— Sic quoque viam Vergilius invenit, qua rediret ad veram historiam de Didone se interimente ut Sychaei fidem servaret (Cf. Servium in *Aen.,* IV, 36; Justin., xviii, 6; Tim. Locr., fr. 23). Sic quodammodo satisfacit Didoni, cujus, sicut dicit Ausonius (*Epigr. in Didus imaginem*), « damna pudicitiae » finxerat, et illatam famae, « qua sola sidera adibat (IV, 321) », injuriam quasi corrigit (Cf. de sensu istius versus 321, Kvičala, *neue Beiträge,* p. 103, et Forbiger.)

Non tamen Didonis, Aeneam multo minus quam antea aestimantis, rursusque Sychaeo amorem suum paulatim reddentis, illa quasi conversio et commutatio facit ut omnino jam ex animo ejus decidant violenti illi, quibuscumque prius exaestuare illam vidimus, adfectus. Quod testantur ipsa extrema vergilianae Didonis verba[1].

Neque enim ex iis constat, recentem ejus ac vehementem in Aeneam iram ita plane exstinctam esse, ut, anticipatis quodammodo christianae religionis sensibus, Dido moriens proditori ignoscat. Minime profecto; supremumque halitum efflatura, « crudeli Dardano » vel adhuc maledicit, ultionisque tunc etiam cogitatio animo obversatur. Verum illud superstiti satisfacit irae, quod etsi derelicta et contempta et jamjam moritura sit, derelinquente Aenea ac vivente et impunito antecellere tamen sibi ipsi conscia est :

Moriemur inultae,
sed moriamur, ait. *Sic, sic juvat ire* sub umbras!

Num rursus Aeneam non jam amat? Longe profecto abest ut tantum Vergilius contra verisimilitudinem peccaverit! Verumenimvero usque permanere et animo ejus haerere Aeneae amorem tum illa ipsa verba denuntiant :

Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
accipite hanc animam;

tum ardentia illa quae « dulcibus exuviis[1] » figit oscula[2] :

1. IV, 651. Cf. 648, 496, 507 sqq.

2. Longe enim abest ut Heynio adsentiar de IV, 659 : « *os impressa toro : scilicet percita furore,* salute desperata et morte jam vicina. Non enim is erat jam mentis habitus, ut exosculari illas exuvias velle videri possit, neque verba quae effatur, tale quid arguunt... » Quidni? Multo rectius Kvičala (*neue Beiträge,* p. 211), qui tales, quales praesumit Heynius, sensus paulo ante convenisse Didoni judicat (v. 642, 646), tum vero *furoris* in locum pacem quandam et serenitatem successisse sapienter animadvertit. — Errat quoque Forbiger dicens : « *prae animi dolore* in torum incubat. » Cf. p. 92, n. 1.

Incubuitque toro, dixitque novissima verba...
... Dixit, et *os impressa toro*[1]...

Verumtamen illa « curas » simul recordatur, quibus et ineunte, et pergente, et exeunte amore isto, vexata fuit, eoque minus desiderat amissam felicitatem, quam tot et tantis acerbitatibus commixtam et quasi adulteratam experta sit :

Accipite hanc animam, *meque his exsolvite curis.*

Hactenus sane vivit amor : ita vero vivit ut eum quadam satietate vitae vel aegra quadam lassitudine animi[2] valde imminutum perspicuo intellegamus.

Adfectus igitur illos, quibus acerrime conturbatam Didonem prius monstravit, non commisit poeta ut postremo

1. IV, 659. Servius duplicem horum verborum explanationem profert, quarum istam probo : « ... applicito ore ad lectulum,... quasi amatrix, ut (v. 82) : *stratisque relictis Incubat.* » — Ovidii autem imitatione (*Her.*, X, 51 sqq.) ea interpretatio, quam anteponendam censeo, confirmatur.

2. *Aen.*, IV, 325 : « Quid moror? » (Peerlkamp : *in hac terra*, i. e. in Africa ; — largiorem ego sensum : *in hac vita*, vel *quid moror mihi ipsa manus inferre*, cum Wagner, Conington, Benoist, Kappes, Forbiger, Ladewig-Schaper, praefero ; — IV, 451 : « Mortem orat ; taedet caeli convexa tueri » : qui versus intellegendus est quasi si Dido Morti precetur ut adveniat ; cf. Kvičala, *Erkl.*, p. 129 et Güthling i. h. v., t. II, p. xii) ; — IV, 692 : « Quaesivit coelo lucem... » — Cf. supra, p. 51-52 cum notis. — Cf. quoque IV, 549 : « his, germana, *malis* oneras... ; » « *tales* nec tangere *curas* » : scilicet, ut opinor, omnia *mala* omnesque *animi dolores*, quae sunt istiusmodi, nempe quae amori comitari poetae semper finxerunt. Felix sane Dido fuit amans, non tamen secura ejus felicitas fuit (v. 296-298). Male Conington et alii « tales nec tangere curas » idem fere valere volunt ac « sine crimine », velut si culpam, quae amori suo inesse potuerit, Dido hoc in loco significet.

Non tamen de iis quae amori quasi connexae haerere putantur *curis* plane idem sentit Dido atque antiquae heroides. Namque Medea, sicut et Simaetha, amorem morbum esse censet a saevis Diis immissum (de quo v. inter multos alios Sainte-Beuve, *Portr. cont.*, t. V, p. 386). Dido vero tum demum cum moritura est exclamat (Medeam Euripidis, v. 493, Catullique Ariadnam, v. 171-176 secuta) :

Felix ! heu ! nimium felix si litora tantum
nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae (IV, 657-658).

Atque vel hoc in loco testatur quam sit menti suae placens etiam tum, nisi amati viri, saltem amoris memoria :

Dulces exuviae dum fata *deusque* sinebat (IV, 651),

quibus verbis significat se quasi *donum dei* hunc amorem, etsi tam infeliciter desierit, existimare.

totos aboleret[1], aut tam facile et repente compesceret, quam in primo Aeneidis libro Juppiter

...... dicto citius, tumida aequora placat
<et> cunctus pelagi cecidit fragor.

Perstant ergo iidem tunc etiam in Didonis mente sensus, — (idque naturae prorsus consonum est) ; — mitigati vero extenuatique perstant ; et si non omnino placida, pacata saltem Dido de vita decessura est.

Quod nempe ut quam maxime fiat talisque esse appareat morientis reginae animi habitus, propter hoc, credo, poeta voluit omnino ad postremum evanidam tacere illam admissi erga Sychaeum perjurii conscientiam, qua et initio, et in media quarti hujus libri parte[2], sollicitatam Didonem vidimus.

Hanc autem admissi cujusdam malefacti conscientiam ei cum attribueret, Vergilius, fateor, sequebatur Apollonium apud quem Medea se ipsam arguit quod, cum Jasonem adjuverit et amaverit,

οὐ κατὰ κόσμον, ἀναιδήτῳ ἰότητι

impulsa, egerit[3]. Sed in hoc ab Apollonio discedit noster,

1. Manifestius etiam in sexto Aeneidis libro (450-474) novus ille animi ejus habitus apparebit. Ubi enim primum Aeneae Dido fit obvia, in breve temporis spatium pristinae irae quasi scintillae quaedam excitatae refoventur (*ardentem et torva tuentem*) ; mox vero « *fixos oculos aversa tenens* » vultuque rigido, sese corripit atque « *inimica* » in nemus refugit. Necdum magis in praecordiis tunc temporis movetur illa

quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Nonnihil tantummodo odii, multus superest contemptus.

2. IV, 19, 321-322, 547, 550, 552, 596.

3. *Argon.*, IV, 360. Cf. 367-368 :

κατα δ'οὐλοὸν αἶσχος ἔχευα
θηλυτέραις.

Catullianam vero Ariadnam nulla subit poenitentia, nec tantillum se putat esse sontem. Cf. Couat, *Étude sur Catulle*, p. 324. — Differt igitur ab Apolloniana Medea Dido quod Medeae conscientia vel in amoris initio vehementer angitur, maeret ac remordetur ; differt autem ab Ariadna quam Catullus adumbravit, quod Ariadnae animi nunquam interpellatur tranquillitas. Dido autem, quando amare

quod jam tunc nos simul praemonet non multum sibi ipsi sontem videri Didonem. Namque iis ipsis verbis quibus illa se incusat, iisdem fere una excusatur :

> Non licuit, thalami expertem *sine crimine* vitam
> degere *more ferae*,

quo scilicet, ut sapienter observat Quintilianus[1], « erumpit ejus adfectus » intimaque sententia, « ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum[2]. »

Atque insuper in hoc quoque apparet quam bona fide Dido, volente poeta, non credat se Aeneae amori indul-

incipit, brevi a se avertit et abjicit omnes quibus cohibeatur animi sui impetus cogitationes; — Dido, ubi primum proditam se sentit, meritam culpae suae erga Manes conjugis poenas se nunc persolvere agnoscit; — Dido moritura sibi ignoscit seque miseram, non vero gravis alicujus culpae consciam, judicat. Neque sunt illa leviora adfectuum discrimina quam ut notentur : cum in hac acuta depingendi subtilitate et ars summa poetarum, et lectorum, nostri praecipue temporis, summa oblectatio ponatur.

1. *Inst. Or.*, IX, 2, 64. — De multis quae hujus loci propositae fuere interpretationibus, vel etiam textus immutationibus, v. FORBIGER. Memorandum tamen primum est illud quod, credo, PEERLKAMP attulit : « Cur mihi non licuit vivere *more ferae*, sine matrimonio et cum quolibet concumbere? »... Aliam quoque explanationem nuper exhibuit J. HENRY, *Aen.*, t. II, 792 : « *The* vita ferarum *is the innocent, chaste and simple life.* » Quam tamen non probo, propter circumjacentium verborum sensum.

2. Nescio an fere idem sensus subsit : 1° versui 552,

> non servata fides *cineri* promissa Sychaeo.

in quo reperire est, simul atque objurgationem, tacitam quandam sui excusationem (*cineri*. — Cf. IV, 34, Annae dictum : *Id cinerem... credis curare*).

2° versibus 596-597 :

> Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt :
> tum decuit cum sceptra dabas,

ubi subostenditur illam non tam *peccati*, ut ita dicam, *moralis* conscientia exagitari, quam erubescere quod regiae suae dignitatis fuerit oblita. Primo *culpa*, secundo,— et in eadem sententia,— *imprudentia* designatur. Haec cum illa cogitatio, quanquam in oratione connexa, non omnino consonat, atque in totum sententiam respicienti videtur Dido magis contracti a se *dedecoris pudore* quam admissae *culpae poenitentia* affici.

Quantum nunc attinet ad sensum verborum « facta impia », de quibus controversia est, neque ego plane plerisque commentatoribus suffragor, « facta » sola « *Aeneae* » intellegentibus, neque tamen probo J. HENRY, « facta Didonis » unius putantem. Sed utrumque sensum iisdem verbis includi censeo, sic nempe enarrans : « Nunc te *facta impia* (generaliter dictum : *l'impiété, la déloyauté, le crime*) tangunt, cum erga te Aeneas *impie* agit; cum vero tu ipsa te *impiam* erga Sychaeum praestabas, decuit *impietatis* et *pietatis* esse memorem, hanc sequi, illam horrere. »

gentem aliquid peccasse, scilicet quod illa proditionis amati viri facta certior cum multo majore vehementia fiduciaque Deos invocat quam quaevis una derelictarum apud pristinos poetas heroidum. Nam incertum quoddam et dubium Apollonianae Medeae verbis inest, Junonem et Justitiam timidius oranti[1]; — sibi autem ipsi Euripidea Medea potius quam Diis confidit, Deosque potius ultionis suae testes quam ultores appellat; — Catulliana denique Ariadna frigida voce Deos compellat, quasi coacto et inutili neglegenter fungatur officio[2]; — neque illarum ulla tanto fervore vel tanta gravitate, quanta vergiliana Dido[3], coelum omne in suae injuriae consortium vocat. Ubi primum os aperit, Aeneae profecturi consilium pronuntiat esse « nefas »; atque adeo sibi olim persuasit Deos suo amori favere, ut nunc illius in mentem non veniat, eos nunc istud nefarie ruptum « conjugium » *aequis adspicere oculis*. Quod si paterentur impunitum, « nusquam tutam » in posterum fore « fidem » declarat audacter; nec Junonem solam appellat, sed Jovem ipsum, Solemque Hecatenque; ac postremo, etiam quando

> vidit turicremis cum dona imponeret aris
> (horrendum dictu!) latices nigrescere sacros,

1. *Argon.*, IV, 372-373, 381-383, 387-388 :

> Δίκη δέ τοι ἔμπεδος ἔστω
> καὶ θέμις, ἣν ἄμφω συναρέσσαμεν...
> ...Μὴ τόγε παμβασίλεια Διὸς τελέσειεν ἄκοιτις;
> ἢ ἐπικυδιάεις...
> .....Τὰ μὲν οὐ θέμις ἀκράαντα
> ἐν γαίῃ πεσέειν...

2. CAT., LXIV, 185, sqq. :

> Non tamen ante mihi languescent lumina morte
> quam justam a Divis exposcam prodita multam
> Coelestumque fidem postrema comprecer hora.

Cf. v. 134 : « neglecto numine divum. »

3. *Aen.*, IV, 306, 371-373, 376 sqq., 382 sqq., 386 sqq., 453 sqq., 519-520, 590, 607 sqq. — Dido non a Diis certior facta est fatis Italiae regno Aeneam necessario destinari. Non hoc ei Mercurius ab Jove missus aperuit; neque sic explicari debet illud libri primi : « ne *fati nescia* Dido Finibus arceret. » Cf. de hoc versu luculentas enarrationes quas WEIDNER, LADEWIG, KVIČALA (*Verg. Stud.*, p. 102-103) attulerunt.

jus a se ipsa stare ne paululum quidem subdubitat... Vel « moritura » Deos iterum « testatur » et

> ... si quod non aequo foedere amantes
> curae numen habet justumque memorque, precatur.

Verumtamen nusquam apertius quam in novissimis verbis ista declaratur illius de suo amore ac de se ipsa opinio. Tum enim praeteritam vitam respiciens, sibi ipsi bonae conscientiae cum minime tecta superbia reddit testimonium :

> Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi ;
> *et nunc magna mei sub terras ibit imago.*
> ... Felix, heu ! nimium felix, si litora tantum
> nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.

Infelicem igitur se fuisse fatetur ; *sontem* vero, tacet, neque profecto credit. Quippe quam malum, ut ita dicam, adierit, volentibus Diis ; non illa malum adiit sponte sua. Nuper quidem Didonem « fatis exterritam [1] » ostendebat Vergilius ; nunc — quasi menti ejus, divina quadam revelatione, clara lumina praepandantur retectaeque praeteritorum eventuum rationes pateant, — intellegentem illam ostendit quantum felicitatis ipsi « fata deusque » impertiverint, quantum rursus calamitatis [2] obtingere decreverint. « Culpae » vero istius, quam ineunte amore suo ipsa nominabat, nullam hic mentionem facit. Nulla ei superest peccati alicujus conscientia, qua moriens conturbetur...

Atqui ita quoque, ni fallor, suam erga Didonem benevolentiam poeta iterum declaravit, cum « fatalem » fuisse

1. IV, 450. — I. e. « malis suis, miseria sua consternata, quam in fatis esse nunc intellegit. » FORBIGER. Sic KVIČALA, *Erklär.*, p. 128. — *Exterrita* KVIČALA dicit *excitata, turbata.* HEYNE, in. h. l. : « *exterritus* de iis dicitur qui consternati subito aliquo casu et mente alienati insaniant. » Minime recte KVIČALA, neque omnem sensum reddit HEYNE : *terror* proprie significatur his verbis, quasi potentiore numine se domitam sentiat et prostratam Dido.

2. IV, 550 :

> non *licuit* thalami expertem sine crimine vitam.
> degere...

culpam ejus nobis in memoriam opportunissime revocet [1], et quasi tacito lectorem quemque severiorem ad ignoscendum peritissime deducat.

Quid vero in isto quarti libri fine prioribus poetis Vergilius debuerit, non ego quidem video. Quis enim ante Vergilium poeta illas contrariarum cupiditatum discrepantiumque studiorum, una tamen eodem in animo versantium, conjunctiones aut descripsit, aut etiam perspexit ? Quis secretas illas ac leves adfectuum quorundam, animis pertinaciter adhaerescentium, et immutationes, et imminutiones ? Ex iis femineis personis, quas antecedentes poetae in pari conditione, qua Dido est, collocaverant, ecqua reperitur cui tantus usque permaneat invisi proditoris amor, quamve similis subeat erga virum istum, quem nuper supra ceteros mirata sit, contemptus ? Ecqua nobis occurrit quae, Didonis instar, verae solidaeque ultionis voluptati suam ipsius mortem praeponat ? Ullane earum, ante Didonem, est, quae denique tam sincerum vitae fastidium aut tam insolitam mortis appetitionem et dictis et re declaret ? Quae cuncta ne tantillum quidem attigit quispiam alius in antiquitate scriptor ; sed haec omnia omnino Vergiliana sunt [2].

1. Vergilius et ipse profitendum censet *non merita morte periisse Didonem* (IV, 696).

2. RIBBECK, *Gesch. d. röm. Dichtung,* II, p. 63, ex historicis latinarum litterarum recentissimus, bene agnoscit quantum ab Alexandrinorum sentiendi dicendique forma quartus ille liber differat. Neque enim Callimachum, neque eos qui post eum scripserunt, materiam Vergilio suppeditasse confitetur. Plus autem ex Apollonii, — cum multis criticis, inde a SERVIO (ed. Thilo, t. I, p. 459) et MACROBIO (l. V, cap. XVII) usque ad aequales nostros, — *Medea* desumptum declarat ; — quantulum vero hoc sit, demonstrare conatus sum. — Nonnihil quoque Euripidi a Vergilio deberi subjicit RIBBECK ; quid vero et quantum non magis, ut opinor, apparet.

PARS POSTERIOR

De muliebrium Aeneidis personarum, in quibus effingendis minimum adjutus fuit Vergilius, indole ; qua tamen inveniendi copia descripta fuerit.

CAPUT PRIMUM

QUANTULUM EX ANTIQUIS FONTIBUS PERCIPERE VERGILIUS POTUERIT IN PERSONIS ISTIS EFFINGENDIS DE QUIBUS NUNC AGENDUM EST

Nunc autem ad eas personas accedamus in quibus delineandis multo minus feliciter rem gessisse Vergilium dicitur, scilicet ad Laviniam, Creusam, Annam, Camillam, Amatam. Tametsi autem subsidii parum, ut hasce personas confingeret, ei fuisse, obiter ac summatim concedatur a plerisque criticis[1], — ob id ipsum languidas inanesque illas esse contendentibus, — tamen e re esse arbitror si, priusquam fastidiosa eorum opinio perpendatur, recognitum fuerit quot et qualia quibus e fontibus percipere potuerit Vergilius. Ab initio nobis constare volo, tam liquido quam fieri potest computatam, rerum a latino poeta aliis debitarum, vel ipsius propriarum, rationem. Oportet enim, si vituperatorum Aeneidis sententiae contradixerimus, iis non relinqui istius conjecturae perfugium, videlicet quod Vergilius nonnulla de fontibus minus apparentibus fortasse extraxerit.

1. Vide supra *Prooem.*, p. 5-7, cum notis.

I

PERPAUCA DE AMATA, CAMILLA, CREUSA, ANNA, LAVINIA VERGILIO TRADITA FUISSE.

Illud autem de Amata traditum ab antiquis, sicuti certo comperimus, acceperat, eam nempe uxorem Latini regis, Veniliae Nymphae (quae vel Jani, vel Neptuni conjux haberetur) sororem, duos peperisse filios unamque filiam, Laviniam. Quam quidem ab Amata Turno nepoti ante destinatam, postquam rex Latinus Aeneae nuper in Italiam appulso vel promiserit, vel nuptum collocaverit, tunc irata mater filios suos cum patre sentientes prius obcaecat, deinde obtruncat, Turnum ad bellum contra Trojanos invadentes concitat, eoque devicto se ipsam inedia interimit[1].

De Camilla ipsa quidlibet e latinis fabulis assumpsisse Vergilium, nullum auctorem habemus[2]. Conjici tantummodo potest, illinc tamen eum hausisse de fugiente Metabo narrationis vel summam[3] vel saltem partes aliquas,

1. Cf. *Aen.* VII, 343, 371; IX, 4; X, 76, 616; XII, 595; et in hos locos SERVIUM, praecipue VII, 51, XII, 603 ubi (vel ab ipso Servio, vel ab aliis commentatoribus) nonnulla de Amata narrantur quae cur Vergilius non omnia pariter acceperit, infra disseretur (de Amata). — DIONYS. HALICARN., I, 64, eandem fere quam in Aeneide personam gessisse Amata tradit : 'Αμάτης παροξυνούσης... — Cf. AURELIUM VICTOREM, *De Origine gentis romanae*, (ed. Barbou, 1733, p. 21) quaedam de Amata ex Catone et Pisone excerpentem.

2. « Episodium hoc a poeta ex antiquis Italorum historiis seu fabulis contexuisse putandus est. » HEYNE, *Excurs.* ad lib. XI. Idem auctor suspicatur monstratum fuisse apud Volscos Camillae sepulcrum, ex *Aeneidos* XI, vv. 591-594.

De Camillae sive *Casmillae* nomine, vide VARRONEM, *De Lingua Latina*, VI, 3; VII, 34; PLUTARCHUM, *Vita Numae*, VII; PRELLER, *Röm. Mythol.*, I, 203; II, 29. — De comitibus Camillae, Larina, Tulla, Tarpeia, Acca, v. PRELLER, *ibid.*, I, 55, 82, 96, 371, 387, 431; II, 26, 27.

3. Vid. SERV. in *Aen.* XI, 567 : « ... Pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur; *quod Cato plenissime exsecutus est.* » — De Metabo, vid. STRABONEM, VI, 265 (406 B); et ANON. ap. SERV., in *Aen.* XI, 540.

quae quidem Vergilium non sonent[1] neque ab eo inventae facile credantur.

Graeca vero poemata, inter quae notissimum fuit Arctini de *Aethiopide*, Amazonum ei insuper, et inter illas Penthesileae reginae, imitandum exemplar praebuerunt.

Quae de Creusa a quibusdam graecis poetis duxit, illa sunt : uxor scilicet Aeneae, mater Ascanii, marito suo ab Ilio proficiscenti non adfuit comes, sed a Cybela et Venere neci aut servituti subrepta, conservata fuit[2].

Nomen saltem Annae sumpsit a Naevio Vergilius, et eam fuisse Didonis sororem[3]. Altera quoque fabula fuit, a Varrone tradita, Annam, non Didonem, Aeneae amore captam, profecto Trojano duce mortem sibi conscivisse[4].

De Lavinia excerpsit illud e veteribus seu fabulis vulgo celebratis, seu poematibus, Latini nempe filiam, Turno

1. *Aen.* XI, 547-567; 570-580.

2. De Creusa vide : SERVIUM in *Aen.*, II, 778; LIVIUM, I, 3; DIONYS. HALICARN., III, 31; APPIANUM, *de Reg.*, I, 1 (apud Photium); SCHOL. VERON. *in Aen.* II, 717, *Fragm. hist. rom.*, ed. PETER, p. 69 — unde docemur ab historicis romanis veteribus, Aeneae fugam narrantibus, nullam Creusae factam fuisse mentionem; — AELIANUM, *de nat. anim.*, XI, 16; APOLLODORUM, *Bibl.*, III, 12, 5, 6; PAUSANIAM, X, 26; TAB. ILIAC., apud MILLIN, *Galerie mythol.*, *pl.* CL, n° 109 et n° 117; *texte*, II, p. 79. — (In vase picto Vivienziano apud MILLIN, *ibid.*, pl. CLXVIII, *texte* n° 608, Aeneam solum fugientem cum patre et filio videmus; duas vero feminas, sub palma deflentes, quarum unam esse Creusam potest conjici).— Cf. TZETZEM *ad* LYCOPHR., (ed. Bernardo Bertrando, *Basileae*, 1558, p. 338.) — « Creusa » apud Romanos cognomen usitatum; ideo Vergilius, opinor, Creusam uxorem Aeneae, quam Eurydicem, sicuti nonnulli tradiderant, vocare maluit.

3. « Anna soror, cujus filiae fuerint Anna et Dido, Naevius dicit. » ANON. apud SERVIUM, in *Aen.* IV, 9.

4. De Anna, vid. ANON. apud SERVIUM, in *Aen.* IV, 682 : « Varro ait non Didonem, sed Annam amore Aeneae impulsam se supra rogum interemisse. » Et SERVIUM, in *Aen.*, V, 4 : « Sane sciendum Varronem dicere Aeneam ab Anna amatam. » Cum hac fabula forsan conjungenda est OVIDII (*Fast.* III, 523 sqq.) et SILII ITALICI (VIII, 50 sqq.) de Anna, in Italiam profuga et ad Aeneam confugiente, narratio. Quam quidem fabulam utrum excogitaverit Ovidius, an antiquitus acceperit, nescio; credo tamen excogitasse. Nam Silium Italicum non ex antiquo fonte idem extrahere videtur, sed Ovidium sequi apparet, « pressis », ut ipse ait, « narrandi metis. »

prius, deinde Aeneae, cui nupserit, desponsatam, belli causam exstitisse [1].

Ea demum indubitate scimus ab alienis fontibus traxisse Vergilium. An vero existimare nobis liberum est alia insuper ei suppetiisse, quae nobis perierint; indolemque personarum illarum in antiquis, vel popularibus fabulis, vel poeticis operibus, nunc non superstitibus, ita depictam fuisse ut inde quaedam in usum suum convertere potuerit? Non equidem credo, et illud ex iis, quas infra explicaturus sum, causis.

II

NIHIL AMPLIUS DE HISCE PERSONIS VERGILIUM AB ANTIQUIS ACCEPISSE

De trojana quidem Aeneae uxore nonnulli sane e Graecis poetae locuti sunt [2] : num autem multa dixerint, dubito. Illud enim constat, sicuti supra animadvertimus, Cycli epici scriptoribus illud praecipue cordi fuisse [3] non ut heroum et heroidum mores mentemque subtiliter exprimerent, sed ut quam plurima facta quam plurimarum personarum in redundantia rebus poemata coacervarent.

Quanto autem magis illud eos fecisse verisimile est, cum de personis agebatur quae, sicut Creusa, in explicanda rerum universarum serie, parum momenti fuissent [4]?

1. De Lavinia, vid. *M. Porcium Catonem*, apud Servium, in *Aen.* VI, 760 : Varronem, *de l. l.*, v, 144; Livium, I, iii; Plutarchum, *V. Romuli*, ii; Strabonem, V, iii, 2; Dionys. Halic., I, 59, 60, 64, 70; Aelianum, *De nat. anim.*, xi, 16; Appianus, *De Reg.*, I, 1, eam Fauni, Aborigenum regis Martisque filii, filiam fuisse fingit. — Dionysius, I, 59, duas Lavinias nominat : alteram, Anii, Deli insulae regis, (cf. Aurelium Victorem, de eadem, in *Origine gentis romanae*, ix); alteram Latini filiam. — De Launa, arcadii Evandri filia, v. Preller, *röm. Myth.*, II, 327. (Cf. Dion., I, 32, 43, 59.).
2. Cf. Tzetzem *ad Lycophronem*, 1226-1232.
3. Cf. Bergk, t. II, p. 57-58; Croiset, *Histoire de la Littérature grecque*, t. I, p. 430.
4. De Creusa nulla mentio fit apud Quintum, Tzetzem et Tryphiodorum, qui antiqua poemata in epitomas quasdam contraxere.

Neque autem hoc de Arctino et Lesche tantummodo existimandum censeo, sed et de Pisandro, quem a Vergilio secundum Aeneidis librum componente « paene ad verbum transcriptum » fuisse Macrobius ait. Quippe qui poema composuisse dicatur quod « a nuptiis Jovis et Junonis incipiens, universas historias quae mediis omnibus saeculis usque ad aetatem ipsius Pisandri » contigerint « in unam seriem coactas » amplecteretur [1]. « In quo autem opere, inter ceteras historias, interitus quoque Trojae in hunc modum relatus » fuit. Non autem video quantulum loci in illa densa, ut ita dicam, et opaca totius temporis mythologici silva, Aeneae conjugi relictum superfuerit.

Ceterum ante Vergilium de Creusa neminem fuisse multum, ea ipsa fidem faciat, quae de illa muliere pererrabat, fabula. Etenim conjicere nobis licet, impedimento poetis fuisse Aeneae uxorem. Elapsurae autem tam cito a scaena personae neglegi solent a poetis; tam brevi morituris, praesertim apud antiquos, musa non favet, neque eas e turba educere dignatur. Reputes denique illud, scilicet de illa, etsi mediocrem, tamen quam maxime variatam fuisse memoriam. Alium enim alio modo tradidisse comperimus, quos liberos pepererit [2], quaeque illi post dirutam Trojam acciderint [3], vel etiam quod ejus nomen ipsum fuerit [4]. Quibus autem de personis vaga et incerta fama

1. Macrob., *Saturn.*, v, 2, 4.
2. Nescit Livius utrum Creusae an Laviniae filius fuerit Ascanius. (I, 1). Creusae filium Iulum appellat (I, 3.) — Ascanium Dionysius, Aeneae Creusaeque filium nominat. (III, 31.) Cf. apud eundem (I, 29, 30) varias discrepantesque de Aenea Ascanioque traditiones. Hellanici *Troica* Dionysius potissimum sequi videtur.
3. Pausanias, X, 26, duplicem famam de ea tradit : nonnullis eam a Cybela et Venere conservatam, aliis captam a Graecis fuisse narrantibus. (Quam enim inter trojanas captivas pinxerat Polygnotus in Delphica Lesche.) — Alii ab Aenea abductam rettulerant, alii derelictam, nihil amplius de fatis ejus memorantes (Strabo, XIII, 53; Aelianus, *Var. hist.*, III, 122; *de nat. Animal.*, XI, 16). « Fuerunt etiam qui Creusam ab ipso Aenea, ex pactione cum Graecis facta, occisam volunt, ne quis ex semine Priami superesset. » De Vit, *Onomasticon* (v. *Creusa*).
4. Pausanias, X, 26 : Λέσχεως δὲ καὶ [ὁ ποιήσας] ἔπη τὰ Κύπρια διδόασιν Εὐρυδίκην γυναῖκα Αἰνείᾳ. Ennius quoque Eurydicem appellabat priorem Aeneae conjugem : v. Servius, in *Aeneidem* I, 273, VI, 77.

prodita est, iis parum attente poetas immoratos jure credere possumus[1].

De Anna item multa nos impellunt ut opinemur, Vergilium ab antiquis plura non esse mutuatum quam quae nobis innotuerunt[2].

Poenorum quidem in sacris fabulis inter doctos constat Annam partes suas gessisse, tanquam cognatam aut ancillam Didonis (scilicet punicae Astartes) deam. Ex ista vero mythica persona, cujus solum nomen aut parum copiosa fabula apud gentem, inveniendi copia minime praeditam, celebraretur, fere nullum fructum a Vergilio perceptum facile intellegimus : nisi forte in Carthaginiensum fabulis Anna tanquam conscia et adjutrix[3] Astarti, quendam e mortalibus amanti, exstiterit, unde consilium Maroni subjectum fuerit Annam informandi talem qualem in quarti Aeneidis libri initio et fine repraesentavit.

Praeterea Naevium aut Ennium nihil ei amplius suppeditasse quam Annae meram mentionem, arbitrari nobis optimo jure licet. Nempe multum ambigi jam supra vidimus an de Didonis Aeneaeque amoribus quicquam uterque cognoverit vel finxerit, recentioresque philologi[4] ex probabilibus rationibus censuere nihil nec apud priscum *Belli Punici* conditorem, neque in *Annalibus* Enni Car-

1. Cf. supra, p. 16 sqq. de Ariadna.— Idem esse verum de Latinis quoque poetis qui de Creusa aliquid dicere potuerunt, egomet opinor. Nam neque in Annalium libro primo, — siquidem tot rebus refertus fuit quot enumerat L. MUELLER — ENNIO locus fuit vel tempus exprimendae Creusae indolis ; NAEVIUMQUE, quanquam is abundantius eversam Trojam descripserat, uxorumque tum Aeneae, cum etiam Anchisis meminerat, parum earum adfectus depingendi aut curiosum aut peritum fuisse, arbitror, quantum intellegi potest e duobus istis versibus, ubi de fugitivis mulieribus satis inficete et crasse lequitur :

Amborum uxores
noctu Troiad exibant capitibus opertis
flentes ambae, abeuntes lacrimis cum multis.

2. JUSTINUS, qui satis fuse Didonis res narrat, Annam novisse non videtur.
3. Fuit forsitan Anna in divinis Carthaginiensium fabulis una ex iis « divis famulis », « virginibus divis, » quae sic vocabantur apud Latinos, vel « deae anculae. » Cf. PRELLER et JORDAN, t. II, 313.
4. Vide supra, p. 9-10.

thaginiensium reginam cum trojano duce commune habuisse.

In graecis vero poetis nullam (ut est mea memoria) personam reperias quae eadem atque vergiliana Anna vel sentiat vel agat. Longe enim abest ut sive Phaedrae apud Euripidem nutrix[1], sive Chalciopa, Medeae soror[2], ab Apollonio in *Argonautica* inducta, aut in simili conditione versentur, aut adfines animi sensus prae se ferant.

Quod denique attinet ad illas muliebres personas quas e Latinis fabulis Vergilius desumpsit, — Annam dico, Camillamque et Laviniam, — non erit profecto periculum errandi credentibus minime abundantem materiam a Vergilio ibi fuisse repertam. Nam de veteribus Romanarum rerum historiis, illa ipsa quae supersunt fragmenta Ciceronis judicium extra controversiam esse probant, dicentis : « Post *Annales pontificum maximorum*, quibus nihil potest esse jejunius, si aut ad Fabium, aut ad Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quid tam exile quam isti omnes[3] ? » Neque autem ingenii historicorum ipsius tantummodo siccitas ea fuit, sed et tractatae materiae. Quicumque enim de priscis Italorum rebus doctissime disseruerunt, idem uno ore confirmavere : fuisse quam maxime aridas et nudas Latinorum fabulas, eorumque in mythica vel poetica fabricatione ingenium ipsi solo Latii simillimum, quod, auctore Fabio,

1. Vide *Hippol.* EURIP., (ed. Fix,) praesertim v. v. 284-361, 433-481, 490-497, 500-503, 507-524, 695-708.
2. BENOIST (*Virgile*, t. III, p. 191) Annam cum Chalciopa confert : « *Virgile s'est inspiré de tous deux (Apollonius et Naevius).* » CONINGTON : « *Virgil has followed Apollonius in making Dido's confidante her sister.* » Sic et omnes alii adhucusque ; cf. GALBO, op. cit., p. 116, n. 1. — Longe vero aliam nobis fingere debemus Chalciopae quam Annae imaginem ; mater est Chalciopa, timetque suis filiis, Jasoni comitantibus ; multoque magis aetate provecta quam Medea, eam admodum infantem, jam nupta ipsa, lacte suo nutrivit. Nec unquam Medeam impellit ut suo erga Jasonem amori morem gerat ; tantummodo precatur ut effugium praebeat liberis suis, ne cum Jasone poenas audaciae luant. — Cf. supra, p. 60-61.
3. CIC., *De Leg,*, I, 2, 6. « Jejunius », Ursini conjecturam, quam Niebuhr et Hermann Peter probavere, sequor. (*Historicorum Romanorum fragmenta*, ed. H. PETER, I, p. XII-XIII.) — Cf. BOISSIER, *Nouv. Promen. archéol.*, p. 257.

« macerrimum et litorosissimum » judicaverit Aeneas[1]. Amata igitur Laviniaque Camillaque suppeditatae, concedo, ab antiquis Vergilio fuerunt, sed hactenus ut nihil aliud quam eventus ad eas pertinentes, et illos exili et concisa brevitate expositos, ac potius personarum nomina, quam explicatam fusa ac copiosa descriptione indolem, inde ducere tantummodo potuerit.

Aut si quae in Latinorum fabulis extra illam solitam siccitatem reperire esset, talia saepius fuisse credideris, e quibus nullum fructum elegantissimus cautissimusque scriptor perceperit[2]. Quod quidem intellegi potest e quadam fabula, a nonnullis historicis memorata, de immani Amatae saevitia. Quippe quam[3] duos filios suos, quia patri faverent Laviniam Aeneae nuptum daturo, propria manu trucidavisse, immo excaecavisse. Tantam sane feritatem non mirum est a lenissimo et humanissimo poeta omissam, cum insuper, — sicuti infra demonstraturus sum, — quicquid horridius fuit a poematis sui vel proposito, vel colore abhorrere sapientissime sentiret[4].

Neque vero Graeci quicquam praebere Vergilio potuerunt, quo vividius Amatam[5] aut Laviniam depingeret. Quamvis enim multa nobis desint e Graecorum vel epicis vel tragicis poematibus, tamen per scholiastas, excerp-

1. Ap. Servium *in Aen.* I, 7.

2. Habebant iidem Ausones atque Aborigenes fabulas et narrationes suas... sed ipsa argumenti tristitia aut foeditate notabiles, ut de Caco latrono. Itaque Italici mythi longe a graecae fabulae suavitate absunt. » Heyne, *Excursus ad lib.* vii.

3. Servius *in Aeneid.* VII, 51.

4. De quibusdam quoque fabulis ad Laviniam pertinentibus, a Vergilio repudiatis, vid. infra *de Lavinia*.

5. Conington *in Aen.*, VII, 385 : « *This description of Bacchic orgics and frenzy is altogether greek and suggested by some greek work, such as the Bacchae of Euripides.* » Qui tamen opportune addit : « *The Bacchanalia were introduced into Rom from southern Italy through Etruria.* » Ita enim censuit Heyne, *Excurs.* ad lib. VII, « cum aliis graecis ritibus ac religionibus etiam sacra Bacchica in Italiam illata esse ;.., inter Etruscos quidem et hinc per reliquam Italiam jam satis antiquis temporibus ea sacra recepta fuisse. » Fieri igitur potest quod in latina de Amata fabula Bacchanalium mentio facta fuerit. — Conington, *in Aen.* XII, 55 sqq. « *The conception of Amata and her suicide is much more in the spirit of the greek tragedy than in that of Homer.* » Demonstrationem conjecturae istae requirunt, quae tamen hic desideratur.

tores, mythologos et historicos, satis illa antiquae mythologiae copia, unde argumenta sua, velut e perenni fonte, omnes poetae hauserint, nobis nota est, ut nullam vel in scaenam vel in epos inductam fuisse personam jure conjiciamus, cujus condicio aut indoles cum Amatae et Laviniae rebus aut moribus conferretur.

Camillae denique indolem ut effingeret, neque Arctini Penthesilea Vergilio, neque aliorum poetarum Amazones nonnisi modice prodesse potuerunt.

Nam primum quod pertinet ad primos infantis Camillae annos virilemque educationis rationem, non incognita nobis exemplaria[1] secutum illum fuisse constat, et plane patet cujus inter Graecos poetae — scilicet Pindari Cyrenes, ἀγροτέρας παρθένου, a patre Hypseo viriliter educatae, ingenium et mores describentis — in hoc loco meminerit[2] (eatenus tamen imitatus ut Pindari descriptionem ex sententia sua commutaret).

Tum vero de muliebri virginis sic institutae indole, nonnulla sunt, et illa graviora, quibus Penthesilea ceteraeque ab ignotis poetis descriptae Amazones a Camilla valde discriminatae fuisse apparent.

1. Ceterum e Philostrato (Ἡρωικός, xx, 43) comperimus, non dissimilem fuisse educationem Amazonum (qualem in veteribus fabulis, — ποιηταῖς τε καὶ μυθολόγοις εἰρημένα, — descriptam Philostratus reperiebat) a solita filiarum apud ceteros homines educatione : « Ἃ δ'ἄ ἀποτέκωσι θηλέα,... λέγονται... θεραπεύειν... ἡ φύσις μητέρων, πλὴν τοῦ ἐπισχεῖν γάλα. » Illud tantummodo Vergilius accepit ex Amazoneis fabulis :

> Armentalis equae mammis et lacte ferino
> nutribat

quod et ipse tradit Philostratus, addens tamen nutriri insuper Amazonum filias « δρόσου κηρίοις ἢ μέλιτος δίκην ἐπὶ τοὺς δόνακας τῶν ποταμῶν ἱζάνει. »

2. *Pyth.*, IX, 32 :

> ... ὁ δὲ <Ὑψεύς> τὰν λευκώλενον
> θρέψατο παῖδα Κυράναν· ἁ μὲν οὔθ' ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλησεν ὁδούς,
> οὔτε δείνων τέρψιας, οὔθ' ἑταρᾶν οἰκουρίαν,
> ἀλλ' ἀκόντεσσίν τε χαλκέοις
> φασγάνῳ τε μαρνάμενα κεραΐζεν ἀγρίους
> θῆρας, ἦ πολλάν τε καὶ ἁσύχιον
> βουσὶν εἰράναν παρέχοισα πατρῴαις, τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκύν
> ὕπνον ἐπὶ γλεφάροις
> παῦρ' ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ.

Siquidem enim existimare jure possumus (et posse mihi videmur) Quintum Smyrnaeum Cyclicorum vestigia propius fuisse secutum[1], ex eo comperimus Penthesileam apud Arctinum quoque ea mente Trojanis auxilium tulisse, ut occisae non sponte sororis poenas, urgentibus Furiis, lueret[2]. Quo primum et valde a Camilla distinguebatur.

Adde huc quod forsan inerat, ut videtur, Penthesileae aliquid molle ac tenerum : quippe quam Achilli, hostium scilicet acerrimo, amorem sui injecisse Arctinus cecinerit[3].

Insuper et in aliis, quae de Amazonum gente narrabantur fabulis, amori locum non ita parvum concessum fuisse verisimile est. Etenim — si non in poematibus de cruento Bellerophontis cum hac gente bello, vel de saevis Herculis ad Thermodontem facinoribus[4], — saltem in iis fabulis ubi res gestae Thesei apud easdem Amazones celebrabantur, apparet duras illas bellatrices minime intractabiles amori animos gessisse, alteraque prorsus Ariadna Antiopa ista fuit, quam Theseus rapuerat volentem[5]. Quanta

1. Vid. Koechly, *Proleg.* in Quintum et Christ, *griech. Literaturgeschichte*, p. 577-578.
2. Quintus, *Posthomerica*, I, 19-26.
3. Arctinus apud Proclum in *Chrestomathia* : Ἀχιλλεὺς Θερσίτην ἀναιρεῖ, λοιδορηθεὶς πρὸς αὐτοῦ καὶ ὀνειδισθεὶς τὸν ἐπὶ τῇ Πενθεσιλείᾳ λεγόμενον ἔρωτα. Cf. Quintum, I, 670. — Vergilio Arctini Penthesileam fuisse cognitam versus isti Aeneidos probant (I, 490-493) :

> Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
> Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
> aurea subnectens exsertae cingula mammae
> bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

4. Deficientibus his poematibus, artis monumenta restant, ubi nihil, fateor, indicat de amore vel tantillum actum fuisse (Cf. *Herakles Thaten in der Kunst*, apud Röscher, t. I, II *Abt.*, 2202, 2226, 22213; cf. t. I, I *Abt.*, 267-269.) Nescio tamen an ἐρωτικὸν aliquid in illa Herculis zonam Hippolytae subrepturi fabula mixtum fuerit; praesertim cum Hippolyta illa facillime pollicita sit — (saltem in iis fabulis quas novit Apoll., *Bibl.*, II, 5, 9; aliter enim rem narrat Diodorus, IV, 16) — se zonam ab Hercule optatam traditurам esse. Ceterum Amazonum regina, quae Theseum amavit et secuta est, Hippolyta quoque nominatur (Eust. in *Il.*, III, 189).
5. V. Plut., in Thesei vita, cap. 26-28, qui quinque historicorum diversas de Antiopa narrationes refert, inter quas illa Bionis est : « ...φύσει γὰρ οὔσας τὰς Ἀμαζόνας φιλάνδρους, οὔτε φυγεῖν (Ἀντιόπην) τὸν Θήσεα προσβαλόντα τῇ χωρᾳ, ἀλλὰ καὶ ξένια πέμπειν... » Cf. c. 28 : « Θησεῖ... τῆς Ἀντιόπης ἐπιθεμένης. » — Ceterum praeclare notum est virginitatem Amazones minime serva-

autem cum diligentia omnem vel umbram amoris a Camilla sua Vergilius averterit, mox videbimus. Quapropter vera esse recentium philologorum videtur sententia, qui Camillam a Marone ab omni parte confictam existimant[1].

Quibus ex omnibus perspici potest Aeneidis conditorem paucissima in illis personis adumbrandis, de quibus nunc dicturi sumus, ex iis auctoribus mutuatum fuisse quos novimus, pauciora etiam multo ex illis quos ignoramus potuisse mutuari. Utrum vero feliciter, necne, illarum speciem ac mores expresserit, nunc consideraturus sum, eo scilicet ordine dispositarum ut exordium mihi sit ab iis feminis quae in rebus Aeneidis plurimum momentum habeant.

visse : citatur Alcippe praeter consuetudinem earum ὀμόσασα παρθένος διαμένειν (Diod., IV, 16). Cf. quae de Amazonum satis luxuriosis libidinibus Eustathius habet (loco citato).
1. Wissowa, art. *Camilla*, apud Röscher ; Papillon, *Virgil*, t. II, p. 352, etc.

CAPUT SECUNDUM

De Amata.

Illud habet vergiliana Amata proprium ac notatu dignissimum, quod quanquam in Aeneidem ubi primum inducta ab Alectone invadatur, — adeo medullis adhaerente ut Furia in locum ejus revera substituta putanda sit, — sua tamen Latini conjugi vere naturalis et feminea servetur indoles.

Etenim, — sicuti nobis de Didone observandi jam supra copia fuit, — ita portentosis miraculis Vergilius uti solet, ut personarum, quas repraesentaverit, adfectibus secundum consuetas et ordinarias naturae leges explicandis nihilominus sedulam impenderit operam. Tantum igitur abest ut poeta, quia Amatam, ab inferna dea intus occupatam, arbitrii sui non jam esse compotem fingit, ideo supervacaneum esse censeat naturale irarum ejus incrementum describere, ut contra muliebris furoris ab origine usque ad exitum copiosissimam velut historiam evolverit[1].

Nam primum, Vergilio duce, adsumus ad « limen Amatae, » quod quidem « tacitum[2] » appellat. Illo vero

1. Recens quidam philologus, cujus de Vergilii arte imitandi dissertatio plurimum boni habet (Cauer, op. cit., p. 22), de hoc perperam sentire mihi videtur : « *Vergil (in Amata) hat die gegebene <psychologische> Voraussetzung nicht benutzt; er war nicht zufrieden durch Worte die Leidenschaft steigern zu lassen; ein leibhaftiges Wunder musste geschehen... Die übernatürliche Einwirkung... wird in dieser vergröberten Auffassung zur Hauptsache, und zwar in diesem Falle ganze ohne Not, weil in dem Seelenzustande der Amata ein Ausbruch des Zornes vorbereitet war.* »

2. VII, 343. « *Tacitum* pro *tacite* ». Servius, cui adsentitur J. Henry. Quo verbo noctis silentium potius significari putat Conington. Ego La Cerda et Heyne sequor, Amatae tristitiam, domusque ejus silentium, obiter et una hic designari censentibus. La Cerda : « Quia... Amata tota *intus* coquebatur curis

regii gynaecii silentio non significatur umbratilis quaedam pacatae vitae tranquillitas, sed ille quasi minax secessus, quo ferox aliquis animus, in sese replicatus, ut ita dicam, latet, ut prorupturam quam sentit violentiam vel tantillum reprimere conetur, vel potius novis armis commode instruere possit. Et sane Amatam in eo tantummodo occupatam nobis ostendit Vergilius, ut recollectas doloris quascumque causas animo indesinenter retractet, et quoniam ad alendum irae suae incendium muliebrem sollertiam accurate insumpsit, minimum sine dubio Alectoni agendum superest[1].

Quae autem, qua via efferandae reginae perficiat opus, iis verbis describitur a poeta quibus facile quis agnoscat corporea, quae solent esse vehementer stomachantium, signa. Vergilium dicas divino isti miraculo quam simillimam humanis adfectibus speciem induere, ita ut vel « ficta » — veluti vult Horatius, — « sint proxima veris[2]. »

... neque se dum curae illae aut irae manifestaverant... » Heyne : « ... De solitudine est accipiendum quae cum cura et dolore mentis tacito bene convenit. » Sic fere Kappes, Benoist et Forbiger. Supervacaneum esse censet Henry, de mente reginae quicquam in hoc versu praenuntiari, cum duobus insequentibus versibus ad id Vergilius operam impendat. Verum id est peritioris cujusque dicendi artificis, quaedam verba quasi praevia, lectoris animum praeparatura, praemittere. Et crebro Vergilius ea verba usurpat, quibus duo vel plures sensus una continentur, quique sive proprie, sive figurate possunt intellegi : cf. infra, *de Lavinia*, in v. VII, 52 : Sola domum et tantas *servabat* filia sedes.

1. VII, 345 : *Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.* — Anon. apud Serv. : coquebant, macerabant. — Conington : inflammabant « *perhaps with a further notion of agitation.* » Neutrum verum arbitror. Hoc verso significatur lenta, ut ita dicam, combustio foci, cui alendo indesinenter aliquis invigilat. Non hic Ennii versum (apud Cic., *De Senect.*, I) « quae cura nunc te *coquit et versat...* » memorari prodest, sed illum Plauti, quem Nettleship adfert : « Egomet me *coquo et macero et defatigo.* » (*Trin.*, 225.)

2. Cf. *Aen.*, VII, 349 :

> Ille inter vestes et *levia* pectora lapsus,
> volvitur *attactu nullo, fallitque furentem,*
> *vipeream inspirans animam ;* fit *tortile collo*
> aurum ingens coluber ; fit longae taenia vittae,
> *innectitque comas,* et *membris* lubricus *errat.*

Nescio an nimis minuta futura sit et putida commentationis exquisitio, si conjecerim sub ista corporearum rerum descriptione latere moralium similitudinem quandam et veluti ἀλληγορίαν. Nam initio, nisi fallor, tripliciter indicat Vergilius, quomodo nasci soleat in animo cujusvis ira, latenter scilicet, ita ut, irasci incipientes, irae

Inde fit ut Amatae iram illico erupisse non dicat[1]; cum sciat optime gnarus humanae mentis poeta, superesse suam etiam furenti mulieri peritiam. Dolum profecto adhibere debebat Amata, priusquam exacerbata ultima sequeretur. Mitissimo igitur habitu et composito in miserationem vultu conjugem adit, molliusque « et solito matrum de more » loquitur[2]. Neque ullum querenti verbum excidit quod non vim aliquam habeat nec consulto immittatur[3]. De industria « exsules » Trojanos, « praedonem[4] » Aeneam nominat, eumque isti « Phrygio pastori » similem contemptim fingit, qui Helenam, non minus forsitan propter divitias[5] quam amoris causa secum rapuerit[6]. Neque ob id solum « primo Aquilone »

nostrae conscii non videamur. (*Levia* non solum, ut vult Servius, *pulchra* significare potest, sed illud quoque, nempe facile et occulte serpentem delabi. Quod quidem explanat insuper : « *attactu nullo,* » et « *fallitque furentem* » : id est, « sine morsu,... *sine accipientis sensu* » Servius.) — Tum vero quasi per physicam figurationem, increscentis irae varia momenta continuaeque vices depingi haud immerito credat aliquis, sive primum (v. 347) cor ipsum in se contrahitur, sive anhelare incipit spiritus (v. 351) faucesque angina quadam coarctantur (v. 351, in fine), sive in caput (v. 353, initio) cerebrumque quasi constrictum sanguis colligatur, sive tandem totum ira corpus invadit atque « implicat, » inertiamque trepida membra aegre ferant (v. 353 sqq.).

Sed forsan in eo « acumen irritum, » ut Senecae verbis utar, « exercemus; » miratur tamen et ipse Conington in his versibus « *an effort of ingenuity to sustain the physical probability <in order to> make the thing physically probable.* »

Illud est summorum scriptorum, quod tam sollerter verba seligant et componant, ut adducamur ad suspicandum vel in minimis occulta consilia cogitatamque industriam. Neque ea saltem diligentia iis improbanda est philologis qui libentius Vergilii doctrinam quam poeticum ingenium extollunt. « Inter cetera » autem « studia, *medicinae* quoque... operam dedisse » illum Suetonius tradit : cur igitur hoc in loco Hippocratis (cf. e. g. Ἐπιδήμ., l. VI, *éd.* Littré, t. V, p. 317, vel Ἀφορ., V, 40, *ib.*, IV, 547, etc.) meminisse non putandus sit?

1. VII, 356 : « Necdum animus toto percepit pectore flammam ». Quod supra « furentem » dicit, ne intellegas quasi jam tunc insaniat. Optime Servius : « Fallitque furentem : ut furore teneatur; *nam nondum furebat.* » Prolepsis haec est.
2. VII, 357. — Servius : « Nondum ad plenum furebat, unde per muliebrem iracundiam mixta asperitate loquebatur, nam hoc est « matrum de more... »
3. Jure laudat Servius « callidam argumentationem. »
4. Sic quoque Aeneam Latinae matronae in precibus appellant, XI, 484.
5. Cf. Procli *Chrestomathiam* : « <Ἑλένη καὶ Πάρις> μετὰ τὴν μῖξιν τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθέμενοι νυκτὸς ἀποπλέουσιν. » — Adde quod in Cypriacis, quae dicuntur, poematibus, narratum fuit Aeneam Paridi, Helenam rapturo, comitem adstitisse. (Cf. ibid., ed. *Didot,* p. 581.)
6. Ducenda = abducenda. (Servius, in *Aen.* VII, 359).

profecturum Aeneam Latino denuntiat, quod, ut interpres quidam voluit[1], serenante cœlum Aquilone facultas datur nautis naves gubernandi, sed praecipue quia ventus ille fuit quo in orientales tractus procul ab Italia abeuntes auferrentur.

Verum nobis Vergilius ipse suspicandi auctor est, reginam, conjugium Aeneae cum Lavinia abnegantem, minus filiae suae casu quam sua ipsius injuria commoveri. Quando enim, antequam ingruat Alecto, omnia secum Amata revolvit, non super Lavinia, sed

> super adventu Teucrum *Turnique hymenaeis*

sollicitam se praebet. Filiae tum demum recordatur, cum maritum suum aggreditur supplex[2], sic tamen tunc etiam locuta, ut vehementius Turnum ab Aenea de matrimonio Laviniae detrusum, quam deditae « praedoni » Laviniae futuras aerumnas deflere videatur. Parcius enim « de nata lacrimatur », potiusque in se ipsam misericordiam conjugis sui allicit :

> Nec te miseret nataeque tuique
> nec *matris* miseret quam primo Aquilone *relinquet*
> perfidus, alta petens, abducta virgine, praedo[3].

Ita profecto res se habet, ut jusso illo et divinitus indito matrimonio feminea Amatae superbia multo magis quam materna caritas laedatur. Jamdiu enim Turnum, nepotem suum, ad suae filiae conjugium reservari « fixum immotumque animo sedet. » Nunc autem externo genero ducenda virgo traditur, quem Amata non novit, nedum selegerit, cuique immo, oraculis freto, regia puella potiri liceat vel etiam non concedente Amata, vel etiam adver-

1. Henry, *Aeneidea,* in v. VII, 361.
2. VII, 358.
3. In ea quam de Amata Vergilius accepit aut acceptam mutavit fabula, filium suum Amata prius amisisse narrabatur (l. VII, v. 50-52.)

sante. Quid vero tum fiet de « materno jure[1]? » Quo cessura est reginae auctoritas, nondum hactenus, ut opinor, in dubium revocata, et ille, quem postea ipsa Turno commendatura est, « honos Amatae[2]? » Matrona jam vere romana Amata est, suaeque « majestatis » nominisque sui « sanctitudinis » conscia[3]. Atque haud scio an Vergilius, quando istam adumbraret imaginem Amatae, illarum matronarum meminerit, a veteribus poetis unanimo consensu vellicatarum. Illud egomet libenter conjiciam e versibus ubi vel Amatae domestica et popularis auctoritas describitur[4] — vel Latinus senex ab illa objurgatus tacet[5] nec redarguere iratam audet, — vel praesertim regina, parum reverenti atque etiam subridicula comparatione, cum illo turbine comparatur quem pueri repetitis plagis versare gaudent[6].

Nonne inde fit ut Amata nobis in mentem revocet romanas illas mulieres, castitate vel « dote » fretas, feroces, molestas, « magnas factiones[7] » concitare solitas, « superbiter imperantes[8] » virosque sibi « subservire » postulantes? « Oblatratricem » Plautus, Cato « indomitum animal[9] » Amatam jure appellasset.

Cum autem precibus nihil profici videt — (videt, nam nihil respondet sapientissimus maritus, sed intra se

1. VII, 402.
2. *Aen.* XII, 56-57. « Per si quis Amatae Tangit honos animum. » Quod quidem Servius parum certo enucleat : « *Per si quis,* etc... Si quia te regina rogat, tuam commovet mentem. Sic in septimo <401> : Si qua piis animis manet infelicis Amatae Gratia. » « *Honorem* » nihil aliud esse, in hoc loco, quam χάριτα Conington interpretatur; neque bene, ut opinor. *Dignitas* (*Werthschätzung,* Kappes) hic significatur. Cf. VII, 581 : « neque enim leve *nomen* Amatae. » — Amatae imperandi cupiditatem inesse praeclare intellexit Chateaubriand, *Génie du Christianisme,* II, ii, 10, qui cum Agrippina eam comparat.
3. Afranius, apud Boissier, *La Religion romaine,* t. II, p. 194.
4. XII, 56-57, 392-403, 581.
5. VII, 373.
6. VII, 378 sqq.
7. Pleraque ista e Plauti *Asinaria, Aulularia, Milite glorioso*, apud Benoist, *De personis muliebribus apud Plautum,* p. 2-6.
8. Afranius, 285 (Ribbeck, *Fragm. com. latinorum*).
9. Apud Liv., XXXIV, ii.

« sedato corde » « mussat[1] »), — immissis jam Amata cohibitae adhuc irae habenis

> immensam[2] sine more furit lymphata per urbem.

Bacchantem vero priusquam depingat, sicut et postquam depinxit, Vergilius nobis in mentem revocat, adesse semper et inesse alienatae reginae Alectonem[3]. Nihilominus tamen verisimilem vecordiae illius processum diligentissime enarrat, perfectaque arte increscentem quasi per gradus furorem legentium, immo spectantium, oculis subjicit.

Primo enim populum Amata propiorem compellat[4]; deinde ad Deos confugit, et quoniam sane Deos indigenas, quasi proditores, sibi favere diffidit, Bacchi, Dei scilicet advenae, reformidatum numen simulare[5] decernit,

1. *Aen.*, VII, 373; cf. XI, 225-295; XII, 18.
2. VII, 377. — « Immensam » quod Mediceus, Romanus, Gudianus, Pragensis duoque Bernenses habent, criticis displicuit, neque immerito. Cf. Henry, *Aeneidea,* in VII, 384 : « *One of those exaggerations which are unhappily of but too frequent occurence in Virgil.* » Insudant in explicandum critici : nequicquam. Vide e. g. Ladewig : « Immensam... *indem Vergilius die Vorstellungen seiner Zeitgenossen von der Haupstadt des Reiches auf die Residenz des Latinus übertragt.* » Nuperius explicavit in hunc modum Sabbadini : « *La piccola cita di Laurento non è immensa ma sembra immensa ad Amata nel suo vertiginoso girare et rigirare* ». Mihi potius videatur *parvam* et *arctam* urbem Amatae tunc videri debere. Aestuat infelix angusto in limite. Kappes duas usurpati istius verbi causas adfert : 1° « *Hyperbolisch vom Dichter beigesetzt, um die Heftigkeit der Erregung hervorzuhesen ;* » 2° « *So ist die Stadt eine ungehenere Ausdehnung im Vergleich zu dem die Sitte zugewiesenen engen Raume des Hauses.* » — Versum spurium esse Peerlkamp et Gossrau judicant; conjecit Burmann : « incensam »; Heyne, « immensum; » Jasper (apud Güthling, p. xix) : « immensum per orbem. »
3. VII, 374, sqq.

> His ubi nequicquam dictis experta Latinum
> contra stare videt, — penitusque in viscera lapsum
> serpentis furiale malum totamque pererrat...

Duplicem ibi causam enarrat ; alteram naturalem et moralem ; alteram portentosam et divinam.

Cf. infra (404-405) :

> Talem inter silvas, inter deserta ferarum
> reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.

4. VII, 377, 384.
5. Servius, in *Aen.* VII, 385 : « Talem patiebatur furorem ut speraret se Liberi sacra celebrare ; *non* enim ipsa *simulabat*, quod est sanorum, nam et

neque inepte... Cum enim afflatam se a formidato Deo mentiatur, ita et melius sibi conciliatum iri plebem, cui violenta placeant orgia, sperat, seque ipsam, quasi sacram, nullo prohibente, ablata quo velit filia, abituram esse confidit.

Fit tandem ut revera desipere incipiat Amata; quippe quae efferata sit ululatibus concitatae multitudinis suisque, atque effuso illo per silvas camposque cursu. Minore quidem impensa mulier quaevis mentem amissura erat. Et hic quoque minime Alectonis interventu opus fuit.

Istiusmodi vero procellae, quanto plus habent virium, tanto minus temporis; nec diutius solito duravisse « phreneticum » impetum Amatae e Vergilio ipso comperimus. Ab ira enim in lacrimas inque preces conversa[1], ad sedatiorem habitum redigitur. Ita autem nos quasi praeparat providentissimus futuri poeta, ne non naturae veritatique consentaneum videatur Amatae mentem, ad extremum penitus depressam, rebus despondere.

Frustra enim, adjuvantibus Latinis mulieribus, universum populum suo in Trojanos odio Amata infecit[2], regem ad arma adversus externos capienda suscitavit invitum[3], denique publicas supplicationes indixit, quarum ipsa particeps exemplum suis dedit[4]. Superati tamen fuere Latini, provocaturque tandem ab Aenea Turnus qui secum ferro decernat.

Hactenus autem Amata pertinacius in spe aliqua persliterat; nunc vero, cum omnia non jam in dubia diuturni belli alea, sed in praesenti unius proelii exitu reponi videt, tum subito, — quasi adhucusque somniavisset, —

paulo post dicturus est < poeta > : Allecto stimulis agit undique Bacchi. » Hoc perperam SERVIUS. Dolum et fraudem subesse Vergilius ibi significat.

1. Cf. *Aen.*, XI, 478 sqq. : « Necnon ad templum... » ; XII, 30 : « Conjugis et maestae lacrimis... »

2. Cf. *Aen.*, VII, 392-396, 400-403, 580-581 ; XI, 877-878, 891-895, ubi, instigante, ut verisimile est, Amata, Latinae mulieres ad defendendos muros irruentes poeta describit.

3. *Aen.* XII, 30. *Victus*... conjugis et maestae lacrimis, etc.

4. *Aen.* XI, 478.

expergefacta obstupet[1]. Tunc enim reginam prorsus dissimilem ab illa, quam nuper adeo ferocem et bellicosam vidimus, Vergilius nobis subjicit : « flentem » nimirum et ad genua Turni, ne dimicaturus abeat, provolutam, futuraque morte pallentem[2]. Nec miramur repentinam istam animi conversionem, cum optime poeta violentos Amatae sensus patefecerit, vel in primo versu in quo de illa in poemate mentio facta est[3] :

> ... Quem regia conjux
> adjungi generum *miro properabat amore*.

Nimia igitur est in quaque re et immodica; quo ergo superbius ac magis saeve in principio debacchata est, eo demissius nunc affligi verisimile est infractum calamitatibus animum et quasi in se ex alto prolabentem.

Nec praetermittenda sunt verba quibus Turnum supplex alloquitur[4]; namque in iis quoque nihil a poeta temere emissum perspicuum est. Neque hic significo illam Vergilii crebro, nec immerito, rhetoribus laudatam argumentorum, vel in perbrevibus orationibus, inventionem ac dispositionem; sed minuta illa dicta, quibus cujusque in Aeneide loquentis personae indoles cum exquisita subtilitate saepius delineatur.

Jam supra notavi illud Amatae :

> .... Per si quis Amatae
> tangit *honos* animum...

1. *Aen.* XII, 54 sqq. : At regina, *nova* pugnae conterrita sorte. — Perperam SERVIUS : « nova sorte, id est *magna*. » *Aliam* nunc esse rerum rationem, *alium* statum, hoc verbo *nova* declaratur.

2. *Aen.* XII, 55 : moritura, — non solum quia jam in animo mortis adsciscendae consilium clam concipere incipit, sed quia vultum jam habet eorum, qui propiorem ultimum diem sentiunt. Velut si dixisset, siculi de Didone : « jam pallens morte futura. » — RIBBECK « monitura » : satis autem futiles ob causas (cf. appar. critic. in h. v., *Prolegomena*, p. 368 ; et 365 et 94, ubi similem, ut opinatur, in *Aen.* IV, 436 mendam simili corrigit emendatione, nec minus, ut opinor, infelici). Bene CONINGTON existimat hanc conjecturam audacioris philologi « *strange insensibility* » notare.

3. *Aen.* VII, 56-57. SERVIUS : « miro amore : nova intemperantia. » CONINGTON : « Properabat : studebat... nihil ei fuit longius. Cf. σπουδάζειν, » et *Aen.* VII, 264.

4. *Aen.* XII, 56 sqq.

quo verbo imperiosae reginae superbia legentibus utiliter commemoratur. Et Turni quoque « honorem » animumque offensioni pronum, cavet Amata ne quo verbo imprudentius projecto laedat[1]. Diligenter enim attendit ne de pugnae exitu nimis esse anxia, aut strenui ducis virtuti parum fidere videatur. Huc aperte spectat voluntaria illa amplificatio :

> Desiste manum committere *Teucris,*

quo Amatam verbo male Servius observat « ab omni eum bello, non tantum a singulari certamine dehortari. » *Teucros* ideo illa dicit, ne unum designet *Aeneam*[2].

Neque eadem Turno suadet, sicut inepte Latinus, ut sibi ipsi consulat victorique hosti concedat, uxorem alteram in Latio securius quaesiturus. Amata vero nihil aliud juvenem poscit, nisi desistat

> manum commitere Teucris;

quid vero postea facturus? Quid exspectaturus? Futuramne ipsa sperat aliquam rerum conversionem? Nescit Amata profecto. Illud tantummodo eo temporis momento optat, ut vivat Turnus. « Quia vero scit, — ut apte dicit Servius, — virum fortem suam mortem facile posse contemnere, deterret eum dicens se simul morituram ; ut qui periculum non timet, formidet invidiam : »

> Qui te cumque manent isto certamine casus,
> et me, Turne, manent.

Multo majorem profecto vim habet, multoque magis est ad persuadendum accommodata Amatae oratiuncula, quam longiores et subinsulsae senis Latini[3] dehortationes.

1. *Aen.* XII, 60 sqq. — Cf. quae CONINGTON in hunc locum edisseruit.
2. Perperam igitur *Teucro* conjicit PEERLKAMP ; neque melius BENOIST *Teucris* honoris causa dictum putat. — Recte CONINGTON idem tunc facere Latinum animadvertit, Aeneaeque nomen ab oratione sua consulto arcere.
3. *Aen.* XII, 24.

Denique mortem ipsam Amatae moribus ejus congruam poeta effecit. Neque enim exspectat praecipitis et petulantis ingenii femina, dum sibi certus oppressi Turni nuntius adferatur :

> Regina *ut tectis venientem prospicit hostem...*
> infelix pugnae juvenem in certamine credit
> exstinctum[1]...

Interea enim dolori ejus aliquid novi accessit, angorem animi haud insontis dico[2]. Quippe quam jam paulo ante intelleximus miserationem quandam subire cladis istius in quam « imperium Latini inclinataque domus[3] » jam prope est ut demergatur. Quae autem quasi poenitentia in animo gliscit et increscit ; « se causam » credit, « crimenque caputque malorum[4] ; » cumque tandem mens illius, tot et tantis calamitatibus labefactata, iterum fatiscit, et, tanquam antea, turbatur, non ira sola tunc facit insaniam, sed et admissi contra Deorum voluntatem magnoque fortasse cum latini regni detrimento peccati conscientia. Denique, sicut Vergilius mirum in modum hoc significat, « *maesto furore* » tunc occupatur[5].

Cum autem Amata jamjam se voluntaria nece peremptura[6], ante oculos nostros statuitur, mirati sunt quidam

1. *Aen.*, XII, 595-599.
2. *Aen.*, XII, 599-600 :

> Et *subito* mentem turbata *dolore*
> se causam clamat, crimenque caputque malorum.

Cf. XII, 657-658 :

> Praetera, regina, tui <scilicet Turni> fidissima dextra
> occidit ipsa sua, lucemque *exterrita* fugit.

Quo cum versu istum conferre idoneum est :

> Tum vero infelix, fatis *exterrita*, Dido.
> mortem orat...
>
> (*Aen.*, IV, 450.)

3. *Aen.*, XII, 58-59.
4. *Aen.*, XII, 600.
5. *Aen.*, XII, 601. Multaque per *maestum* demens effata *furorem*.
6. *Aen.*, XII, 603. Peritissime descripsisse Vergilium ipsam mortem Amatae saepius observatum est. Vid. HENRY, *Aeneidea*, t. II, 833 (qui ibi confert *Aen.*, XI, 860, *Georg.*, IV, 458).

cur Vergilius non edisserat illa quae, « multa « tamen, « moriens effata » esset[1]...

Num vero ingruentibus Trojanis Amatam tunc temporis male precari oportuit? At illud non decuit, opinor, sub finem operis fatalem Aeneae victoriam moribundae mulieris imprecationibus quasi foedari. — Num contra de sua sorte, et Turni, et Latini, et Laviniae, iterum ingemiscere expediebat? At quid in repetitis ejusmodi querelis inesse novi posset?...

Propter hoc praecipue, credo, moritura tacet in duodecimo Aeneidis libro Amata, quod optime effictae ejus imagini nihil insuper addi potuit[2]. Quaedam Vergilium perfecisse credamus, quaeso, liceat.

1. *Aen.*, XII, 600-601. Cf. in hunc locum CONINGTON.
2. SERVIUS : «... Alii dicunt quod Amata inedia se interemerit. » Vergilius potius censuit, Amatam seipsam suspendere, quod rapidior haec mors in illa duodecimi libri fine, ubi fabula ad exitum festinat, magis revera idonea esset; deinde, forsan, quod apud veteres Romanos hujuscemodi voluntariam necem dedecus quoddam sequeretur. « Sane sciendum, inquit SERVIUS, quia cautum fuerat in Pontificalibus libris ut qui in laqueo vitam finisset insepultus abjiceretur. » Fieri potest ut poeta voluerit atrocem Aeneae inimicam suum in Romanorum patrem odium « informis leti » quasi poena luere.

CAPUT TERTIUM

DE CAMILLA

Camilla bis in scaenam producitur, — (quo verbo liceat uti, cum in illa maxime poematis parte epica fabula cum fervore quodam tragico praeceps agatur). — Volscam enim primum virginem sub finem septimi libri[1] Turno et Latinis in auxilium venientem spectamus; in undecimo autem libro[2], non solum egregia dimicantis Camillae facta praematurumque cognoscimus exitum, sed et unde orta et quo modo educata adoleverit[3].

Neque defuere qui mirarentur[4] cur illa longior de anteacta Camillae vita narratio a Vergilio ibi collocata fuerit: « inopportunum scilicet regressum, quo fabulae properantis cursus retardetur. »

Ceterum notavere critici quidam[5], textum in hoc loco propius introspicientes, indicia aliqua posse deprehendi, ex quibus jure quis suspicetur priorem versuum tenorem quasi scissum voluntarioque ruptum fuisse, nimirum ut additicia narratio posterius includeretur.

Verum hoc ipsum forsitan prohibet ne imperfectam —

1. *Aen.*, VII, 803 sqq.
2. *Aen.*, XI, 498-519; 532-597; 604; 648-868.
3. *Aen.*, XI, 539-584.
4. Cf. multorum Vergilii interpretum — HEYNE, PEERLKAMP, RIBBECK, FORBIGER, KAPPES, OTTEMA, — varias quidem opiniones, consentientium tamen in hujus loci vituperatione. Quibus adsentitur E. BENOIST (in *Aen.*, XI, 535, 836, 842). — RIBBECK (*Prolegomena*, p. 85): « Monstri instar, quod aegre mihi persuadeo ipsum probavisse, longissima per parenthesim inter Dianae orationem injecta poetae de Camillae infantia narratio. » — Cf. PROBUM apud RIBBECK, *ibid.*, p. 143.
5. Vid. HEINRICHIUM (apud FORBIGER, in *Aen.*, XI, 539) et PEERLKAMP quibus RIBBECK (loco cit.) adsentitur. « Cum verba *Cara mihi ante alias*, v. 537, et *Vellem haud correpta fuisset*, v. 584, bene in unum versum coeant, totam narrationem interjectam a poeta secundis curis in schedas conjectam esse » critici illi suspicati sunt.

ut voluere quidam [1] — hanc Aeneidis narrationem putemus. Fieri sane potest ut hunc de primis Camillae annis digressum Vergilius male locaverit, posteaque, si tempus suppetiisset, loco mutasset; — illud vero liquet, vituperatam hanc fabulam consulto ab illo [2] additam.

Cur autem addiderit, quaestio est. Egomet hoc esse causae opinor, quo clarius et distinctius efficta Camillae indoles emineret.

Satis quidem superque fuit ad universam totius fabulae utilitatem, si Camillae, a Turno accitae, adventus primo, deinde cum comitibus suis adversus Teucros certamina describerentur. Sed, si nihil amplius explicatum fuisset, « bellatricis », subito supervenientis, interventus, quid aliud, quaeso, miranti lectori jure visus fuisset, quam inficeta quaedam graecae Penthesileae repetitio? Num

1. Heyne, *Excurs. ad librum* XI : « Interea huic episodio ultima poetae manus non admota esse videtur, cum narratio cum ipso Aeneidis argumento non satis coaluerit; Opis autem a Junone missae ministerium vix eum, quem exspectabamus, effectum habeat. Non poterat a morte fatali vindicare Camillam suam Diana », sed « erat tamen, antequam discederet <Opis>, corpus pugnae subducendum et in patriam deportandum, quod ipsa dea promiserat se facturam (v. 593-594) ne spoliaretur aut truncaretur. Atqui poeta hoc non attigit; in quo excusari forte potest; ad artificium tamen poetae referre hunc defectum nolim cum Servio, in v. 593. » Egomet Servio adsentior, qui quidem peropportune notat alio quoque in loco (I, 683) rem praenuntiatam non fuisse a Vergilio narratam quando facta est. Dianae promissa de servando Camillae corpore, aut obliti sumus sub episodii finem, aut si reminiscimur, confidimus ea effectum suum habitura esse. Imperata exsequentem Opim descripsisse, quo pertinuisset? Cf. C. Martha, *La Délicatesse dans l'art*, ch. II (*Les sous-entendus.*) — Peerlkamp : « Maluissem Vergilium a persona nymphae Opis plane abstinuisset. Omnia ad eam pertinentia et in rebus, et in verbis ita sunt concepta ut fortasse Silio Italico, non Latinorum poetarum principe digna reperiantur. » Forbiger : « Et sane hic locus est inter inter languidiores et minus limatos Aeneidis. » Nihil equidem fateor in hoc episodio adeo mendosum mihi occurrere quod Vergilio tributum nolim. Contra multo rectius addit, ut opinor, Forbiger : « < Inde > tamen non sequitur, quod Peerlkamp suspicatur, relictum eum <locum> esse a Vergilio leviter modo inchoatum, et ab alio poeta posteriorum temporum infelici successu elaboratum. »

2. « Ab illo », inquam, quia nunc quidem nulla nobis causa mihi videtur esse cur Varium et Tuccam nonnullorum locorum ordinem commutasse credamus. Illud enim demum e Suetonii *Vita Vergilii*, 39, 42, comperimus Varium amici sui opus « summatim emendavisse, ut qui versus etiam imperfectos sicuti erant reliquerit » et « duorum » tantummodo « librorum ordinem commutasse. » « Particulatim » Vergilius, fateor, « *composuisse* » poema dicitur, « prout liberet quidque et nihil in ordinem arripiens (*ibid.*, 14); » nihil autem nos inducit ut credamus *particulas* illas non ab ipso Vergilio fuisse connexas et compactas.

decuit Camillam quasi fugacem stellam per Aeneidem transire, neque nos moneri unde talis exiret qualis nobis ostenditur? Num fuit opportunum, Camillam ad id tantum in poema induci, immo projici, ut viros trucidaret? Unde fiebat ut adeo assueta bellicis operibus adeoque militiae amans esset? Nihil sit insolitum sine causa : lex est ista cujuscumque artis. Trucis illius puellae violentiae inusitataeque in femina virtutis rationem reddere oportuit, ut non tantummodo bellicum agens et loquens induceretur, sed et legentes certiores fierent *cur* sic loqueretur, sic ageret; neque solum instrumentum quoddam epicum et poetica machina Camilla foret, sed et verae propriam personae vitam indueret.

Huc autem mire pertinet tam sedulo commemorata Camillae pueritia [1]. Nempe orbata matre, cum adhuc infans esset, solas blanditias, et asperas illas, Metabi patris experta est, parum in fovendis liberis, ut videtur, delicati. Exsulis praedonis comes, unaque cum illo in silvis abdita, periculis una obsessa est inopiamque tulit. Fuerunt ei sentes incunabula, nutrices caprae. Pedibus ubi primum ingredi valuit, a Metabo arcum et fundam accepit crepundia, ita ut sexus sui vel pueriles delicias vel juveniles labores Camilla primum ignoraverit, deinde respuerit, nec quicquam optaverit amplius quam impigram illam et inquietem actuosae vitae libertatem. Indurato quoque animo, conjugium dedignata est, nec « quid sit Amor » cognovit.

Viriliter ergo educatae, viriliter in bello agenti invidia abest, neque stupet lector, neque offenditur, si militari quadam disciplina puella exculta saevam ac cruentam se praebeat virginem.

Quod igitur de hoc loco censendum existimem, illud est. Quando primum Aeneidem scribebat, Vergilio satis

1. *Aen.* XI, 539 sqq., 567, 573-584.

fuisse conjicio de Camilla puella, exeunte septimo libro, tres istos versus praemittere :

> ... Non illa colo calathisve Minervae
> femineas assueta manus, sed praelia virgo
> dura pati, cursuque pedum proevertere ventos[1].

Postea vero cum secundis curis poema retractaret undecimumque librum revolveret, pauciora se supra dixisse animadvertit quam ut Camillae mores atque ingenium explanarentur. Quamobrem quaecumque in undecimo libro inde a quingentesimo quadragesimo versu usque ad quingentesimum octogesimum quintum leguntur, tunc et ibi, ut opinor, adjecit[2].

Viragini tamen virgineum quid infundere decreverat, neque immerito ; quod primum consecutus est studiosius exprimendo Camillae pulchritudinem, — eo tamen, quo decuit, modo, adhibitaque summa descriptioni temperantia.

Alioqui notandum illud est, parcissime de corporeo feminarum, quas inducit, habitu, loqui solitum esse Vergilium. Quod quidem non in Aeneide[3] tantum animadvertas, unde quis suspicari possit quicquid ad « Veneres Cupidinesque » attinet a poeta scienter prohibitum fuisse, utpote ab epica majestate abhorrens ; — sed et idem in Bucolicis[4] occurrit. Saepissime « formosas » personas suas appellat, sed *quomodo* formosae sint Amaryllis, Ga-

1. *Aen.* VII, 805-807.

2. Nihil tamen aliud hoc esse contendo quam conjecturam ; etenim insuper dici possit, a poeta non inconsulto neque inscite factum illud, quod narratio de Camillae pueritia ejusdem morti propius in poemate admota fuerit ; eoque magis nos praematuro virginis exitu adfici, quo recentius vivida florentissimae ejus adolescentiae descriptio facta sit. Cum jam mortua Camilla jacet, etiam tum nobis videre videmur pulchram Metabi filiam per Apenninorum juga venantem. — Cf. Heyne, *Excurs. ad lib.* XI : « Non importuna est fabula ad variandam narrationem de bellico apparatu, et tenet animum exspectatione fatorum Camillae. »

3. Vid. de Didone, *Aen.,* I, 496 ; Didonis cum Diana collatae forma tacite subauditur. — IV, 60 : « Ipsa tenens dextra pateram *pulcherrima* Dido, » nec quicquam amplius. — IV, 136, Didonis ornatus et vestis potius quam pulchritudo describitur. — Laviniae quoque, XII, 64 sqq., potius turbatus animus effingitur, quam corpus.

4. *Eclog.* I, 5 ; II, 1, 16, 17, 45 ; III, 79 ; VI, 21 ; VII, 37, 55, 67 ; X, 18, et passim.

latea et Egle, praetermisit. Vix illud de Galatea obiter :

> Candidior cycnis, hedera formosior alba[1].

Quid autem ita ? Num poetae nostri, in perspicienda pulchritudine parum perspicacis, sensibus et oculis defuisse aliquid conjiciendum ? At Vergilii vitam corporeamque indolem non satis alte novimus. — An vero parum ubere ingenio praeditus in fingenda sibimetipsi personarum suarum forma credendus est ? Neque equidem negaverim Vergilium, siquidem, ut tradunt, recondita quasi natura, tristiorque et verecundus, et, — (ut pulchrum Ciceronianum vocabulum usurpem), — solivagus fuit, — ad interiora mentis potissimum respexisse, sicut et Gallici quidam soliti sunt decimi septimi saeculi scriptores[2]. Sed causam istam quoque subjicio, quae magis etiam, ut opinor, vera est : — Vergilio, credo, videbatur plurima in his vario variorum lectorum arbitrio esse permittenda, personarumque corpore ac figura primis tantummodo lineis a poeta adumbratis, cetera unicuique ad libitum supplendi libertatem concedendam[3].

Non igitur periculum fuit ne in Camillae describenda forma nimis immoraretur, cum tamen plura de illa dicere quam de ipsa Didone idoneum censuerit. Sed ea demum dicit quae strenuam virginem deceant ; non illos, quae solent apud feminas laudari, lepores, colorem scilicet, aut oculos, aut collum[4], depingit ; (quippe cui et nimium

1. *Ecl.* VII, 38.

2. Sic in pulcherrima illa fictarum omnium, quae tunc quidem scriptae sunt, narrationum, cui titulus inscribitur *la Princesse de Clèves,* nihil de amati viri amantisque mulieris forma novimus, nisi tantummodo istiusmodi quaedam : « *Ce prince était parfaitement bien fait... admirablement bien fait... Il parut alors à la Cour une beauté qui attira les yeux de tout le monde et l'on doit croire que c'était une beauté parfaite, etc... La blancheur de son teint et ses cheveux blonds lui donnaient un éclat que l'on n'a jamais vu qu'à elle; tous ses traits étaient réguliers et son visage et sa personne étaient pleins de grâce et de charme.* »

3. Veneris ipsius vergiliana descriptio brevis est (*Aen.,* I, 314 sqq., 402 sqq.) — Atque in hoc quoque ab Alexandrinis sapienter discedit Vergilius, de quibus v. Couat, op. cit., p. 151.

4. Tantummodo in *Aen.* VII, 815, « leves humeros » Camillae poeta designat. — Mire autem robusta Camilla a pueritia fuit : cf. XI, 574.

musculosam cervicem, et nimis duram aciem, et colorem sole adustum fuisse veri simile sit). Nihil aliud quam gestus et habitus venustatem, et incessus levitatem mire quidem concinnis versibus exprimit[1].

Aliud quoque habet Vergiliana Camilla sexui suo ingenitum et adhaerens : munditiarum dico amorem[2]. Simplicissimum enim eam Metabus pater cultum docuerat :

> Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
> tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent[3].

Adultam autem virginem comperimus austeriorem vestitum omnino respuisse[4] : etenim illa, ubi primum « Volsca de gente adveniens » Turnum adit, jam tunc tam comptis vestibus ornata incedit, ut non solum

> tectis agrisque effusa juventus

— (quae quidem faciem et corpus virginis potius quam vestem contemplaretur) ; — sed etiam « turba » ipsa « matrum, » sapientior nempe et doctior elegantiarum judex, « *attonitis animis inhiet.* » Atque (ut vel minuta persequamur poetae, et ipsius minutis attenti, verba) non solum apparatissimae sunt et magnificae Volscae Amazonis vestitus partes, quas necessarias appellem, — sicut pallium, — sed et istae quae ad supervacaneam exornationem pertineant, — sicut aurea illa, crinibus internexa, fibula[5].

1. *Aen.* VII, 807-811 ; XI, 500, 648, 654, 694, 718, 765, 767. Nescio cur Pierio, aliisque philologis, vv. 808-811 displicuerint. — Spence, *Holdsworth's Remarks,* p. 309 : « *Philostratus mentions an ancient painting* (*Icones,* II, 35) *of three nymphs dancing, and treading on flowers and ears of corn so lighthly that they remained entirely unhurst.* »

2. Illud diligentius mulierum a se effictarum Vergilius notat quam corpoream speciem. Cf. de Didone, I, 751, IV, 133-139.

3. *Aen.* XI, 576-577.

4. *Aen.* VII, 812-818.

5. Lehrs (*Antiq. Vergil.,* p. 248-249) « fibulam » censet hic esse non Romanarum matronarum *acum discriminalem,* verum revera Atheniensium mulierum fibulam quae « formam aureae cicadae in Nisi quoque capillo obtinuit (v. *Cirim,* 127). » « Quanquam de Niso non injuria dicere poteris, Atheniensium habitum in illum ipsum Graecum magis quadrare quam in Volscam virginem. » De *fibula* sive acu crinali feminarum, vide Forbiger, *Hellas u. Rom.,* I, 1, p. 325. Aliter tamen censebat Donatus (apud Benoist) : « *Donat remarque que c'est un ornement viril, et non un objet de la toilette féminine qui retient les cheveux de la jeune guerrière.* » Cf. Liv., XXXIX, xxxi, apud Forcellini.

Quin etiam ea ipsa nitidi ornatus appetentia causa mortis futura est. Cum enim[1] ab Amazone prospicitur Chloreus, Phrygius Cybelae sacerdos, aurea cassida capite tectus, crocea chlamyde indutus,

> peregrina ferrugine clarus et ostro,
> pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum;

tunc virginis, « barbarae » quodammodo et ipsius, oculi tanto fulgore tantaque luxuria praestringuntur, ac protinus « femineo praedae et spoliorum amore » inflammatur, sive ut templis hostilia arma defigat, sive potius « captivo » ut se ferat in auro, exoptatamque praedam inhians, totum per agmen incauta sequitur.

In hoc denique a Camilla peculiarem mulierum indolem referri voluit Vergilius, quod inanis gloriae cupidissima, sibi nimium confidat, neque viribus suis nec fortuna indubitet. Quippe quae « *prima*[2] » cupiat :

> tentare pericula belli,
> *sola* que Tyrrhenos equites ire obvia contra[3].

Turno quoque ipsi cum superba praecisaque brevitate imperat[4] ut « pedes ad muros subsistat » et

> moenia servet.

Tyrrhenorum igitur strenuo duci secundas quasi partes ingloriumque laborem indicit; sibi vero ipsi difficilius opus nobilioremque provinciam vindicat. Nec sine correctione quadam Turno approbatur illa paulo jactantior audacia[5]; nam quamvis

> oculos horrenda in virgine fixus,

1. *Aen.* XI, 768-784.

2. *Aen.* XI, 505.

3. *Aen.* XI, 504.

4. *Aen.* XI, 506.

5. Haud dissimilia sunt apud Quintum Penthesileae superba verba, Priamo audacter pollicentis facillime fore ut a se Troja servetur.

indomitum ejus animum omni laude cumulet, non tamen ei morem omnino gerit, neque de agendae rei ordine Camillae adsentitur; sed auxilia ei adjungit nonnulla :

> *Tecum acer Messapus* erit, *turmaeque Latinae*
> *Tiburtique manus...*

Illud tantummodo praecavet, muliebrem superbiam odoratus, ne cui Volsca miles obnoxia sit in agendo :

> Ducis et tu concipe curam[1].

Verum ea demum sunt quae apud Vergilium denuntient femineum aliquid Camillae superfuisse. Neque tamen aliae defuere viae, quibus, si libuisset, ferocem illam strenuae virginis virilitatem mitigasset. Scilicet vel ipsam inducere potuit, amore viri cujusdam, seu e Volscis sive Latinis sive Trojanis, captam ; vel rursus illius amore quendam e comitibus Turni aut Aeneae incensum. Neutrum autem Vergilio placuit, adeoque intemeratam esse voluit bellatricem suam, ut non solum ipsa

> sola contenta Diana

foret[2], sed etiam ne ab ullo virorum, inter quos viveret, cuperetur. Camillam matres « optavere nurum[3]; » non juvenes uxorem. Ne amari quidem Camillam decens ei visum est, nedum amare[4].

Immo vero quam multus sit, quamque diu immoretur, quamque libenter haereat in describenda Camillae aspera

1. *Aen.* XI, 508, 510, 518, 519.
2. Quo differre Vergilium ab iis qui de Amazonibus antea scripserant poetis, supra notavi (p. 107-109).
3. *Aen.* XI, 581-582.
4. Penthesileae contra fortitudini suave et festivum aliquid miscuit QUINTUS (I, 52-61) :

> Ἐπεὶ ῥά οἱ ἀμφὶ προσώπῳ
> ἄμφω σμερδαλέον τε καὶ ἀγλαὸν εἶδος ὀρώρει...
> ...Μειδιόωσ' ἐρατεινόν, ὑπ' ὀφρύσι δ' ἱμερόεντες
> ὀφθαλμοὶ μάρμαιρον ἀλίγκιον ἀκτίνεσσιν,
> αἰδὼς δ' ἀμφερύθηνε παρήια, τῶν δ' ἐφύπερθε
> θεσπεσίη ἐπέκειτο χάρις καταειμένη ἀλκην.

saevaque audacia, mirum est. Nihil profecto omittit eorum quibus illustretur immansueta virginis feritas. Quod quidem melius intelleges, si solam Camillam, omissis aliis, per undecimum librum persecutus, omnes versus[1] in unum collegeris quibus quasi plura adduntur lineamenta novique colores huic praenuntiae, ineunte praelio, picturae :

> ... Medias inter caedes exsultat Amazon,
> unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla,
> et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
> nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.

Vix hercle minore impetu aut minus alacri gaudio incitata ruit quam Diomedes aut Ajax; neque magis humanam, quam homerici heroes, erga hostes se praestat, vel debellatos[2]. Ligurem Anni filium fortiter increpat, antequam trucidet; jacentis Ornyti « super inimico pectore » conscensa, in convicia erumpit. Quo autem modo prostratos ultimis ictibus conficiat, atroci ista comparatione nobis declarat Vergilius, qua cum accipitre virginem suam confert, comprehensam columbam uncis pedibus *eviscerante*,

> <dum> cruor et vulsae labuntur ab aethere plumae[3].

Ea tandem morte Camilla moritur quae facinoribus tam diris consentanea sit. Ipsa manu letale telum de vul-

1. *Aen.* XI, 648-651, 664, 675, 676, 697, 698, 699, etc. Tredecim e Trojanis Camilla trucidat : Euneum, Lirim, Pagasum, Amastrum, Hippotaden, Terea, Harpalycum, Demophoonta, Chronium, Ornytum, Orsilochum, Buten, Anni filium; quorum quibusdam animadvertendum est Vergilium misericordiam nostram conciliasse (Cf. v. 670-673, de Livi Pagasoque, qui, amicitia juncti, dextra dextrae commissa « praecipites pariterque ruunt; ») dum contra in alios odium nostrum movere sibi proponat. (Cf. de Anni filio, 705-714; de Arrunte, 763-767, 783 sqq.)
2. *Aen.* XI, 502, 686-689, 715-718.
3. *Aen.* XI: 722 sqq. — QUINTUS contra lepidis et blandis comparationibus lectoris animum medias per strages quasi ad adquiescendum invitat. Namque Penthesileam, Graecos fugitivos fusosque urgentem, similem ait seu juvencae, quae, absente hero, in hortum prosilit, frigidamque herbam plantasque conculcat; seu marinae undae, navem usque prosequenti, ita ut carinae adhaerescere velle videatur. (I, 320 sqq; 396 sqq.) — Semel tantum alibi Penthesileam inter Trojanos quasi caprum inter oves eminere dicit.

nere extrahere[1] conatur, nec nisi deficiens habenas immittit, ad terramque « non sponte fluit » quasi mori cupiat bellico equo considens[2]. Non illa, sicut apud Quintum Penthesilea[3], desiderio lucis citius amissae adficitur. Nihil aliud, animam efflatura, quam de bello cogitat; ultimum verbum[4] est, de arcessendo, ut pugnae succedat, Turno; ultimoque motu

arma relinquit[5].

Nullam equidem in cujuscumque aevi poeticis operibus, — nisi forsitan in heroicis Suevorum aut Germanorum Saxonumve cantibus[6], — tam sincerum exstitisse, tam integrum et, ut ita dicam, merum « bellatricis » exemplar, quam illa a Vergilio, « suavissimo poeta » descripta persona; cui quidem vere idoneum nomen a poeta ipso impositum, cum ab eò appellatur « horrenda virgo[7]. »

1. *Aen.*, XI, 816. — Apud Quintum (I, 655) Achilles telum e Penthesileae corpore trahit.
2. Apud Quintum (I, 628) Penthesilea cum magis feminea languidaque mollitia cadit. De quo vid. Sainte-Beuve, *Quintus de Smyrne* et Courdaveaux, op. cit., p. 326 sqq.
3. Quintus, I, 604 sqq.
4. *Aen.*, XI, 825-827.
5. *Aen.*, XI, 830. Spurium judicat Peerlkamp non solum insequentem versum :

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras,

quem grammaticum quendam vel « lectorem otiosum » e XII, 952 huc transtulisse non nego; — sed et prioris finem : « arma relinquens » quem egomet desiderabo si interpolatus demonstratus erit. — Probus ac forsitan Donatus legebant *relinquunt*, ita tamen explicantes velut si passivus verbi sensus esset ac valeret illud aeque ac « ceciderunt arma. » *Relinquens* codd. superstites (praeter Romanum : *reliquit*). Neutra igitur harum variantium lectionum sensus communiter receptus mutatur (Cf. Forbiger et Conington-Nettleship.)
6. *Aen.*, XI, 507 : Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus.— 664 : Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo, Dejicis? — Licet admirationem quoque et venerationem verbum « horrendus » interdum significet, saepius tamen adfectus eos indicat, quos gallico verbo « *horreur* » intellegimus.
7. E. g., *Brynhild*, *Gudrun*.

CAPUT QUARTUM

De Anna

Didonis sororem Annam eandem in Aeneide personam agere, nec magis necessariam, liquet, quam in tragoediis nutrices aut ancillae solent. Neque, si quidem externa tantum adspicias, a scaenicis illis quibuslibet Phaedimis aut Cephisis aut Doridibus differre eam dicas, quae apud veteres recentesque scaenicos poetas ad id tantum inductae sunt ut rarius illi uterentur soliloquio : nihil enim aliud Anna quoque quam *responsa* profert, et illa approbantia Didonique placitura ; et, quod attinet ad facta, nihil nisi paret ac famulatur. Attamen intus perspicienti satis longe abesse apparet ut revera inanibus illis et ignavis personis similis ejus indoles sit.

Ubi enim primum a sorore compellata Anna Didonem hortatur ut nascenti amori indulgeat, ita loquentem facit Vergilius ut perspicuum nobis fiat non solum eam dilectae sorori, cujus ob maestitiam maeret, benigne morem gerere, sed et ipsam sibi, eadem occasione data, futuram fuisse indulgentissimam.

Cum enim mortuis promissa fides Didonem amaturam moretur, Anna contra minime persuasum habet subterraneam defunctis ultra sepulcrum vitam usque produci. Utrum « manes » an « cinerem » appellet, nescit; priusque verbum « cinis » occurrit[1].

Quod si forte superesse verum sit mortuorum animas, numquid eas terrestribus rebus semper tangi putandum est ?

Id cinerem aut Manes credis curare sepultos ?

1. *Aen.*, IV, 34 : Id cinerem *aut* Manes...

Rursus vero eosdem curae esse vivis, quid necesse? Servetur sane aliquandiu viduitas : sic decet, servavitque Dido. Doleat prorsus aliquandiu vidua conjux : naturale est, et ipsa Dido longum per tempus « aegra » fuit. Aeternum vero lugere, aeternamque observare viduitatem, quid refert? Quod quidem neminem, neque defunctos, neque superstites, quicquam juvet. Respuantur qui displiceant proci ; « esto, » — tametsi e petitoribus illis quosdam reges fuisse, et illos potentes, non sine desiderio quodam meminisse Anna videtur. — Nunc autem adest, qui placet, quanquam exsul et omnibus egenus : « placitone etiam amori » pugnare rationi consentaneum est?

Neque ab altero conjugio non abstinendum propterea tantummodo censet Anna, quod materna Didoni felicitas jure exoptari possit; sed et alia quoque vitae gaudia non dedignanda arbitratur :

> Nec dulces natos, *Veneris nec praemia* noris[1].

Pyrrhonizanti de animae immortalitate virgini, subepicureum quoddam, ut ita dicam, inesse quoque voluit Vergilius.

Non tamen adeo ut omnem superstitionem excusserit. Inferis Diis justa, solito de more, utique persolvenda esse censet. Sufficit nimirum illud, « Deos poscere veniam[2], » et praecavere ut placentur, si quibus eorum fortasse viduarum constantia cordi sit.

Postquam vero Didonis animum Anna « dictis incendit, » « labantemque solvit pudorem, » rationes quoque modosque ei subministrat quibus amatum heroem in amorem sui inducat. Paucis itaque verbis sorori demonstrat et quasi delineat quibus utatur sermones. Unicum quidem ei suppeditat Anna argumentum, sed breviter ostendit

1. IV, 33. — Male PEERLKAMP et quidam alii : « Nati dulces sunt praemia Veneris. » Bene HENRY, *Aeneidea*, t. II, p. 580 : « Veneris praemia *is not another form of* dulces natos, *but a substantive thought : neither children, nor the pleasures of love.* » Item et WAGNER, FORBIGER, BENOIST.
2. IV, 50 ; Tu *modo* posce Deos veniam...

quomodo exaggerari et muliebri repetitione amplificari queat :

> Causas innecte morandi,
> dum pelago desaevit hiems | et aquosus Orion |
> quassataeque rates, | dum non tractabile coelum[1].

Vergilianae enim Annae, sicut mens acuta neque inops consilii, ita lingua sollers et facunda. Quotiens enim discordia exoriebatur inter Aeneam, cui indoles, — ut opinor, — asperior ac nimis morosa fuit, — Didonemque, nimium ejus amantem quam ut ab eo « coleretur », totiens Anna se pacis interpretem ac sequestram, nec infeliciter, interponebat :

> sola viri molles aditus et tempora norat,

« arcanosque » etiam illi « sensus credere » solitus erat Aeneas, cum nempe plus quam femineam inesse Annae sapientiam perspexisset, plurisque reginae sororem quam reginam ipsam faceret.

Quando igitur ille in eo est ut proficiscatur, it ac redit Anna, Didonis preces, Aeneae repulsas ferens ac referens[2]. Nec taedet eam « superbum » et « intractabilem hostem » adire et supplicationibus aggredi, quarum Dido ei tunc materiam, ut ita dicam, praestat; ipsa vero argumentorum dispositionem et elocutionem affert.

Etenim sororem amat Anna; quanquam hunc amorem, licet verum, non tamen exquisitissimum esse nec perfectissimum subtilius indicari a poeta mihi videtur.

1. IV, 52-53. — Hic deesse aliqua putat RIBBECK, velut si Dido Aeneam hortaretur, ut naves reficeret, hieme usus. — Quo supplemento opus esse non arbitror : « quassataeque rates, » i. e., « dum quassari solent rates fluctibus commissae. » — Idem propter hanc causam versus hujus finem interpolatam opinatur (PEERLKAMP totum versum delet). Quod si quis alterutri philologorum istorum adsentiatur, propter quod « *dum non tractabile coelum* », atque etiam « *quassatae rates* » nullum alium revera contineant quam praecedentis versus sensum, neque ea mihi satis probabilis ratio videretur. Nam si omnes sententiarum, jam semel expressarum, repetitiones ex Aeneide detrahendae sint, tertiam, credo, poematis partem deleas. Amat enim et crebro usurpat Vergilius varias illas et iteratas unius cogitationis formas, sicuti rectissime passim ostendit J. HENRY. Aliquid rhetoricum, ciceronianum, vel etiam, si vis, isocrateum Vergilii stilo inesse, nemini dubium est.
2. Cf. de versu IV, 438, supra, p. 69, n. 6.

« Quis » ut ait ipse Vergilius,

... fallere possit amantem?
Omnia tuta timet...

Fallitur autem facillime Anna a moritura Didone seque tum praebet minime perspicacem. Didoni enim tranquillioris et pacatioris animi speciem prae se ferenti credula soror non diffidit. Quietem illam, quae paulo ante provideri nullo modo profecto potuit, illamque facilem ac subitam nuper adeo furentis feminae conversionem, non miratur Anna neu suspectam habet. Didonem

simulata mente locutam

non intellegit.

Postquam igitur regina ei magicas artes exposuit, quibus fore ut vel sibi reddatur Aeneas, vel ipsa ab illo quasi solvatur, sperare ait, atque

haec effata silet : pallor simul occupat ora,

non pallorem istum, arcani cujusdam et funesti consilii quasi proditorem, satis animadvertit Anna [1], nec sororem sentit ultimo illo intentissimoque in dissimulandis cogitationibus suis nisu velut exhaustam fatiscere.

Qua vero de causa, nisi quia revera non mente adsequitur tantum dolorem, cui praematura adhiberi solacia subitumque finem imponi posse existimet? Quod ceterum et ipse poeta dixit :

Non tantos mente dolores
concipit, aut graviora timet quam morte Sychaei [2].

1. Quanquam videt hunc pallorem, sicuti v. 500 ostenditur : « *Non tamen* Anna novis praetexere funera sacris, etc. » BENOIST.

2. *Aen.*, IV, 502. — Dissimilem in modum hunc versum explicavere critici. Perperam RIBBECK, BENOIST, LADEWIG-SCHAPER : « quam quae in morte Sychaei timuerat ». Recte SERVIUS, WAGNER : « ... quam quae acciderunt morte Sychaei », vel KAPPES « ... quam quae viderat morte Sychaei », vel HENRY. *Aeneidea* : « quam quae morte Sychaei vel fecit, vel passa est Dido. » — Vid., de hoc versu, apud HENRY, *Aeneid.*, ad IV, 502, notabilem Jacobi Fox ad WAKEFIELD epistolam (britannum textum in promptu non jam habeo, neque in latinum transfero ne minus bene sententiam reddam) : « *Je crois que la chose la plus grossière dans ce livre, non assurément au point de vue de l'indécence, mais du manque de sentiment, est le vers 502. « Anna pensait que Didon prendrait cela comme elle avait fait le passé », voilà qui est sûrement vulgaire et grossier au suprême degré.* »

Cf. Aeneae ad Didonem in Inferis obviam euntis verba, haud dissimilem mentis habitum testantia :

... Nec credere quivi
hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem. (*Aen.*, VI, 463.)

Conjux olim mortuus est ; nunc fugit amicus ; ut illius, ita hujus abolitum iri memoriam non dubitat. Adeoque sibi persuasit placidissima scilicet indole femina, amatorias facile dissipari curas, ut ne parumper quidem cogitet moriendum esse propterea.

Quamobrem paulo post exclamantem, cum Dido se ipsam interemit, Annam :

Eadem me ad fata vocasses !
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset !

nulla profecto causa est cur mentiri suspicemur [1]. Illud tamen conjicere licet. — (nec Vergilii verba vetant) — Annam libenter, sed frigide, mortem una cum Didone oppetituram fuisse morientemque forsitan secum fuisse reputaturam, num vere operae pretium esset?...

« Unanimam [2] » Didonis sororem Annam Vergilius appellat, quod quidem verbum quid valeat grammatici non consensere. Utrum enim sensus est, unum scilicet et eundem, ut vulgo dicimus, ambabus animum esse, ita ut quod sentiat una, sentiat et illa pariter nec minus vivide? An hoc tantummodo significat « unanima, » Annae semper probari quaecumque soror cupit vel censet? Mihimet posterior hic sensus videtur, multo melius quam ille, vergilianae Annae ingenio convenire. Non errat Anna querens, quod soror eam moriens *comitem spreverit*. Optime quidem sunt inter se concordes ; longe autem abest ut sint animo ac mente pares [3].

1. *Aen.*, IV, 678.

2. *Aen.*, IV, 677.

3. Non igitur illud acutissimi inter Gallos critici probo, si modo ad indolem Annae SAINTE-BEUVE his verbis respexerit : » Anna soror *a beau faire; elle n'est qu'une très noble confidente et n'a pas d'autre rôle que celui d'une magnifique utilité.* » *Portr. contemp.*, t. V, p. 379. Partium, fateor, earum quas agit minimum momentum est ; morum vero quos exhibet, satis vividam esse speciem ego quidem opinor.

CAPUT QUINTUM

DE CREUSA

Creusa non solum ad utilitatem totius poematis multo etiam minus quam Anna confert, sed et haud immerito possit aliquis inquirere cur eam in Aeneidis fabulam introducere Vergilio placuerit. Neque equidem aliam illi fuisse causam existimo quam fidelem illam, Vergilio peculiarem, traditarum sibi ab antiquis rerum observantiam. Cum enim apud posthomericos plerosque dirutae Trojae narratores, Trojanam Aeneae uxorem, sicuti conjicere licet, inveniret, eam omittere priscarum religiosissimus historiarum poeta, quanquam nihil ad propositum suum profutura erat, noluit.

Variae autem Cyclicorum ferebantur, ut supra vidimus, de Creusa fabulae. Quippe quam nonnulli in exsilium cum Aenea profectam dixissent. Sed Vergilio magno impedimento fuisset superstes trojani ducis uxor. Ceterorum quidem Trojanorum Aeneae comitum conjuges[1] cum iis usque in Siciliam navigare passus est, quia nulla istius sine nomine turbae cura agenda fuit; sed de nobili profugi herois conjuge semper silere non decuisset. Adde quod diutius servari Creusa manifesto non potuisset, qua quidem praesente pio Aeneae Didonis amori indulgere non fuisset liberum. Cum igitur breve post tempus utique amittenda Creusa esset, non meliorem occasionem esse melioremve locum ejus amittendae quam captum et incensum Ilium Vergilius sapientissime censuit.

1. *Aen.*, II, 797; V, 604-684, 700-778. — C. AURELIUM VICTOREM, *de Origine gentis romanae*, IX : «... <Aeneas> cum multis diversi sexus oraculi admonitu Italiam petit ; ut docet Alexander Ephesius, lib. I Belli Marsici. »

Quod autem quomodo factum, num breviter et summatim exponere contentus fuit? Minime quidem, sed ita Creusam agentem loquentemque fecit, ut plane nobis liqueat quos gerere Aeneam erga Creusam sensus, quos erga Aeneam Creusam Vergilius cogitatione sibi finxerit.

Illud autem primum patet Veneris filium pietate esse erga patrem conspicua, erga conjugem dubia. Quem quidem fateor multis et magnis querelis et « insano dolori[1] » se dedere, postquam Creusam sibi sublatam comperuit[2]. Num vero tantae desperationi respondere ea observamus, quae illum in hac occasione fecisse Vergilius, seu inscienter, seu consulto, excogitavit?

Cum enim senex Anchises, deprecantibus suis ne, abire nolens, seipsum illosque simul omnes perdat, pertinaciter abnegat[3],

> inceptoque et sedibus haeret in iisdem,

tum « rursus in arma fertur » Aeneas,

> mortemque miserrimus optat.

Scilicet igitur censet ille, quoniam Anchises servari abnuit, nihil sibi amplius domi superesse agendum, suisque iterum relictis[4] — (de quibus quid futurum sit, flocci

1. *Aen.* II, 776.
2. *Aen.* II, 745 : Quem non incusavi amens hominumque Deorumque? *Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?* — SERVIUS ipse subridet hoc loco et nonnihil jactantiae ibi odoratur : « Bene se futurus commendat maritus », scilicet Didoni audienti. — Cf. 769-775 ; 790-795. — Vid. quoque v. 738 : Heu! misero conjunx fatone erepta Creusa, etc... *Misero* cum *mihi* (subaudito) conjungendum arbitror, sicut HEYNE, WUNDERLICH, BENOIST, WAGNER, FORBIGER, CONINGTON. — Cf. optimam in hunc locum notulam apud E. BENOIST.
3. *Aen.* II, 650 sqq.
4. Minime enim festinasse Aeneam videmus, ad suos defendendos redeuntem; nam v. 562, « subit mentem » ejus « cari genitoris imago... deserta Creusa, et direpta domus, et parvi casus Iuli ; » tunc vero adspicit Helenam, quam interficere vult; nec sine causa Venus, quae sese ei videndam offert, monet (in v. 596 sq.) ut de patre, uxore et filio potius cogitet. — In versu 634, « ad limina sedis » tandem pervenit. — De quo loco vide WEIDNER, p. 401 ; SCHUELER, *Quaest. Verg.*, p. 22. — Etsi vero tollenda sit e sincero Vergilii textu narratio de Helena (II, 577-588), quam quidem interpolatam fuisse multa indicant (cf. NETTLESHIP, apud CONINGTON), nostra tamen remanet de Aeneae tarditate observatio.

facit) — certum ad exitium proficiscitur. Non ita prorsus Hectori placuisset, qui praelia instauraturus, de casibus uxorem et filium, si perierit ipse, manentibus, tantopere angitur[1]... Non ille profecto incensa Troja procul a relictis suis « extrema sequi » maluisset. — Differt in hoc ab Homerico Andromachae conjuge Vergilianus Creusae conjunx.

Neque Andromachae Creusam ipsam esse similem, sive potius, ut ita dicam, parem, vel prima ejus verba mire detegunt.

Quantum enim dissonae sunt ab Andromachae in sexto Iliadis libro adhortationibus, Creusae in secundo Aeneidis ad maritum supplicationes! Scio equidem in illa Aeneae narrationis parte effuso in longas querelas maerori non esse locum neque tempus — quanquam paulo ante idem Aeneas verbosius narravit quas ipse de Anchisa querelas fuderit, cum tamen cuivis difficilius sit minusque decens verba referre sua quam aliena. Non igitur possum non existimare a peritissimo poeta, per istius oratiunculae, quattuor versibus contentae, exquisite delecta verba, quasi oblique significari quantulum Creusa in mariti sui domo honorem, quantulum in ejusdem amore locum obtineat[2]...

> Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum ;
> sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
> hanc primam tutare domum.

Nonne habet quandam siccitatem hoc « argumentum biceps, » quod ceterum Aeneas redarguere non posset?

1. *Iliad.*, VI, 440, 450 sq. :

> Ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω
> οὔτ' αὐτῆς Ἑκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος
> οὔτε κασιγνήτων.....
> Ὅσσον σεῖ' ὅτε κέν τις Ἀχαιῶν χαλκοχιτόνων
> δακρύοεσσαν ἄγηται...

Ibid., 484 : Πόσις δ' ἐλέησε νόησας
> χειρί τέ μιν κατέρεξεν, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ονόμαζεν.

2. *Aen.* II, 673 sqq.

> Cui parvus Iulus,
> cui pater et conjunx, quondam[1] tua dicta, relinquor?

Ea sunt quae profecto fidenti parum animo neque audaci voce proferat, quasi certo praesagiat fore ut paulo post deseratur, ita ut jam nunc Aeneae vix possit nominari uxor. Longe hercle secus Andromacha ad Hectorem[2] : « Tu mihi et pater es, Hector, et veneranda mater, et frater, florensque conjux... O miranda profecto, sed nimia et imprudenti fortitudine vir[3], te tua perdet virtus, nec te miseret infantisque tui, miseraeque mei, cui ipsi, te deperdito, melius sit sub terram descendere. » Haec est firma amantis et amatae conjugis fiducia : flebile vero nescio quid, demissumque et pavidum Creusae querelae sonant.

Iuli interea « summo de vertice flammeus emicat apex. » Tum demum mirabili victum omine Anchisam cumque suis abire jam annuentem, sublevat humeris Aeneas cum his verbis[4] :

1. *Aen.* II, 678. De hujus verbi « quondam » sensu non satis constat. Servius : « *Quondam* aut *aliquando* significat, quasi nunc uxor non sit quae relinquitur; aut certe *quondam semper* significat, ut in Georgicis <III, 99> : « ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis, » et est : « quam semper conjugem nominasti. » Haberi enim quaevis poterat, nominari non nisi nobilis. » Heyne, Schirach, Lersch, Conington, sic interpretantur : « Ego quae olim dicta fuero tua conjunx (*I who once enjoyed all a wife's honours*, Conington), postea vero famula captiva appellabor. » (Cf. Lersch, *Antiq. Vergil.*, 237.) Ego vero interpretationi quam priorem subindicaverat Servius, explicat autem Wagner, potius adsentiar : « *Quondam* acerbo cum dolore <dictum>, quasi jam desierit esse ejus conjunx, et quasi ille pristini amoris oblitus sit. » Cf. Tibull., III, I, 23 : « Haec tibi *vir quondam, nunc frater*, cara Neaera, Mittit. » Forbiger idem censet. Burmann rectissime comparaverat *Aen.*, IV, 323-324 :... Cui me moribundam deseris, hospes? Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat. — Quod ceterum jam optime intellexerat Anonymus apud Servium : « Quod eventurum timet, quasi jam contigerit, deflet. »

2. *Iliad.*, VI, 407 sqq. :

> Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος· οὐδ' ἐλεαίρεις
> παῖδά τε νηπίαχον καὶ ἔμ' ἄμμορον...
> Ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη
> σεῦ ἀφαμαρτούσῃ χθόνα δύμεναι...
> Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
> ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

3. Hic videtur esse multiplex verbi δαιμόνιε sensus (v. Schol. i. h. l. et Ebeling, *Lexicon homericum*). Lenius increpat virum Andromacha.

4. *Aen.*, II, 706 sqq. ; 709-710.

Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
una salus ambobus erit...

Cur autem dicit « ambobus, » neque uxorem quoque sibi, aut evasuro, aut perituro, fore sociam declarat?

Proximus deinde incedit patri Ascanius ; Creusa vero euntium « longe servatura est vestigia[1]. » Si quis autem reputat fugientibus iter esse faciendum inter tenebrarum spissas caligines, « propiusque » iis « aestus volvere incendia[2], » ita ut persaepe seu territi deerrare, seu obs-

1. *Aen.*, II, 710-711 : « Mihi parvus Iulus Sit comes et *longe* servet vestigia conjunx. » De hoc verbo *longe* multum dissensere et adhuc dissentiunt interpretes. SERVIUS : « Longe, » valde, ut <I, 13> : Tiberinaque longe ostia. » (Sed in hoc quoque loco dissentiunt recentiores ; vide FORBIGER, in h. l.) — SERVIUS igitur intellegit *valde*, i. e. *bene* servet (custodiat) vestigia conjux ; additque : « Et bene singulos ire facit, scit enim multitudinem facile posse deprehendi. » Quod probare videtur J. HENRY (*Aeneidea*, I, p. 332) : « *There seems to be no ground whatever for the charge which has so frequently been brought against Aeneas, that he deserted, or at least, neglected his wife.* Cf. OVID., *Heroid.*, VII, 83 : Si quaeras ubi sit formosi mater Iuli, Occidit a duro sola relicta viro. »

Non tamen solus est apud antiquos OVIDIUS, quem hic locus offenderit. ANONYMUS enim apud SERVIUM : « ... Vel *longe* ideo, ut sit prooeconomia quod errare potuerit. » Recentiores autem plerique critici *longe* aliter quam SERVIUS explicant : HEYNE : « *Longe,* e longinquo. » BENOIST : « *à quelque distance.* » FORBIGER, WEIDNER : « Non statim post me, sed ex aliquo intervallo. » LADEWIG-SCHAPER : « ... *Das Mass des* longe *darf natürlich nicht grösser, als zu dem Zwecke* (cf. SERVIUM, supra citatum) *nötig, angenommen werden.* »

Alii textum mutandum conjiciunt ita ut « *haud longe* » legatur, vel « *legens,* » vel « *lente* » (vide GÜTHLING, p. VIII) ; sed nulla causa est cur mutemus (cf. RIBBECK, qui hoc in loco variantes lectiones nullas citat, et SCHAPER (*Anhang*, p. 262) ; — neque ceterum « haud longe » cum v. 739 quadraret, sicuti bene observat KVIČALA (*Erklär*, p. 41). Idem, — cum WEIDNER (*Commentar*, p. 432), KENNEDY, (*Intr.*, p. XLI,) — Anonymo, cujus apud Servium opinio supra citata legitur, adsentitur, artificiumque illud Vergilii parum bene excogitatum censet. Aeneam minime uxorem curare ei videtur, illudque *unangenehm*. Quod quidem et ipse sentio. Jam enim prius, sive in Didone, sive in Amata, animadvertimus eam esse Vergilio divinae operae adhibendae rationem : scilicet divinis humanas commiscere causas solet, ita ut illae sibi auxilientur invicem, neque laedat intellectum Deorum interventus. Hic quoque eandem rationem adhibuit, minus, ut opinor, feliciter, meroque miraculo tolli Creusam potius fuit, neque aderri naturales hujus rei causas, si quidem ad Aeneae utilitatem respicimus. Sed hoc quoque in loco Vergilium collibuit fingere eos sensus quos erga priorem conjugem gessisse Trojanum heroem verisimile est, quos item erga virum Creusa, totusque in illam antiquarum personarum ψυχολογίαν interdum Aeneae oblitus est. — Fabula quaedam fuit, apud veteres, qua Creusam narrabatur « ab ipso Aenea, ex pactione cum Graecis facta, occisam... ne quis ex semine Priami superesset. » (DE VIT, *Onomasticon*, v. Creusa). Quam quidem non secutus est Vergilius ; nonne autem fieri possit ut aliquantulum meminerit ?

2. *Aen.*, II, 706. — Cf. 728-729.

tructi flectere viam necessario debeant, Aeneam cum Fato consensisse non sane licebit opinari ; — saltem vero omnia quae consilio provideri possent, quo certius amitteretur Creusa, ea praecavisse Aeneam opinari licebit.

« Pone[1] » igitur « subit », dicto parens, Creusa. Pergit autem Aeneas iter, de nemine nisi de patre natoque sollicitus[2], neque prius meminit uxorem[3] quam cum, « nota regione viae » relicta[4], per circuitus et ambages locum attigit, quo omnes conventuri essent[5]. Facillime Creusa aberravit.

Cum denique illa ante conjugis oculos rursus adest[6], supremum vale dictura, comiter illum objurgat quod tantopere de se amissa lamentetur, quasi tantum et inexspectatum dolorem mirata :

Quid tantum *insano* juvat indulgere dolori[7]?...

Neque ipsa, etsi eum adamare videtur, de sua sorte queritur ; nec Diis aut fato succenset[8], neque una praeteritorum tecto sub eodem annorum vel uno verbo meminit[9], neque felicitati et gloriae Aeneae in posterum

1. ANON. apud SERVIUM, in *Aen.* II, 725 : pone : post, sed loco tantum, non et tempori adjungit. — Pone, a tergo (FORBIGER). — « *A quelque distance.* » (BENOIST) qui eundem igitur esse sensum verbo *pone* ac verbo *longe* statuit. (Cf. praecedentem notam.)

2. *Aen.* II, 726-729 et pariter *comitique onerique* timentem ; 732-735.

3. *Aen.* II, 741-744 :

Nec prius amissam respexi, animumve reflexi
Quam tumulum antiquae Cereris...
Venimus. —

II, 744 : Comites natumque virumque *fefellit.* — ANON. ap. Servium in *Aen.* II, 744 : « Videtur excusasse *oblivionem suam et culpam ad Deos retulisse.* » Cf. v. 735 : « *male* numen *amicum ;* » v. 739 : « *fato...* erepta ; » II, 745 : « Quem non incusavi amens hominumque Deorumque ? » An vero seipsum incusavit ?

4. *Aen.* II, 736 sq. :

Namque avia cursu
Dum sequor et nota excedo regione viarum, etc.

5. *Aen.* II, 713-716 ; II, 741 sqq.

6. *Aen.* II, 772.

7. *Aen.* II, 776. — Cf. v. 784 : Lacrimas dilectae pelle Creusae.

8. *Aen.* II, 776-779.

9. *Aen.* II, 785-788. — Contra futuram sui ipsius sortem libenter accipit et amplectitur. Cf. apud TORQUATUM TASSUM, *Liber. Hieros.*, c. XII, verba Clo-

promissis uno tantum verbo invidet, quarum tamen non particeps futura est. Immo ipsa Aeneae, non jam suo, quomodo illa in posterum futura sint placide denuntiat alteramque ei uxorem destinari [1]. Unum tantummodo postulat : ut

nati <servet> communis amorem;

nati, non uxoris. Sibi nihil nec sperat, nec poscit.

Nonne autem in istis verbis, quae maritum jamjam relictura Creusa effatur, quasi absolvi videmus imaginem mulieris ejus, qualem ipse Vergilius animo intuitus est [2]? Quam nimirum sibi finxit, ut opinor, et ostendere voluit ea esse condicione qua fuisse traduntur in prisco aevo, seu in Oriente, sive in Graecia, sive in vetere Latio, mulieres : scilicet non accepti mariti socias, sed accitas liberorum procreandorum genetrices, δαμάρτας δοθείσας παιδοποιούς [3], ut Euripides ait; — neque cum domino suo ex

rindae mortuae, Paradisique felicitate jam fruentis, ad Tancredum. Illic vero ne miremur Clorindae tranquillitatem religiosa pietas prohibet; desunt vero Creusae ejusmodi adfectus, quae quidem illud tantum dicit :

... Divae Veneris nurus...
Me magna Deum genetrix his detinet oris.

1. *Aen.* II, 783-784 :

Illic res *laetae*, regnumque et regia conjunx
Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae.

De quibus ultimis verbis, Servius : « Melius ad posteriora referimus, ut dicat : noli flere, nec enim captiva sum. Male enim plerique dicunt : quia habes uxorem paratam. » Neque ex hoc solo commentario suspicari possumus vel apud antiquos jocis hunc locum materiam uberem praebuisse. Fieri tamen potest ut Vergilius verbis istis : « Regia conjunx *parta* tibi... lacrimas *dilectae* pelle Creusae, » — nobis cum subtili quadam obliquitate significare voluerit qualia sibi ipsa solacia Creusa ministret, siquidem huic recentioris philologi sententiam amplectamur : « Dilectae, *not merely loved, but loved by choice or preference. An exact knowledge of the meaning of this word enables us to observe the consolation which Creusa ministers to herself in the delicate opposition of* dilectae Creusae *to* regia conjux parta. » J. Henry, *Aeneida*, t. II, p. 347.

2. Benoist in *Aeneid.* I, 771 : « *Cette apparition de Créuse à Énée est nécessaire pour expliquer plus tard son union avec Lavinie.* » At potuit futurum ei conjugium sive per Helenum (qui quidem plura eum monere potuisset), sive per Sibyllam praenuntiari. Ideo rursus Creusa loquens inducitur quia nempe Vergilius deserere non vult personas suas, prius quam tam bene quam fieri potest imaginem illarum absolverit.

3. Eurip., *Androm.*, 4.

pari, sed earum ancillarum ritu, viventes, quas e turba ille interdum seligere solebat. Viva igitur Creusa consortii forsitan non impatiens fuit, — (Euripideae Andromachae [1] in hoc, sed in hoc tantummodo similis); — absens vero, sibi non tantum arrogat ut a viro semper solaque amari cupiat; sed alteram conjugem in vicem sui successuram aequo animo providet ac patitur.

1. Andromacha quoque narrat apud Euripidem (v. 216 sqq.) se amavisse et osculatam fuisse liberos quos aliae ex Hectore genuissent feminae. Cf. apud Sophoclem Dejanirae et Lichae verba (*Trachin.*, 141-177, 438-449, 459-467, 479-492). Sed apud Sophoclem Dejanira se derelinqui non diu patitur (*Trachin.*, v. 531-587, 627-628, Nullam apud tragicos, qui quidem e Graecis nobis superfuerunt, poetas Creusam invenio.

CAPUT SEXTUM

De Lavinia

Non ullam fateor in ullo poemate reperiri posse personam quae magis iners quam Lavinia sit, adeoque paulum valeat in dirigendis, vel etiam quantulumcumque flectendis, rebus quibus immixta versatur.

Quod quidem ut vitio vertendum[1] esse Vergilio censeam, plurimum abest. Non enim video quid agere Lavinia possit quod magis expediat. Oportuitne illam, Camillae aemulam, bellare? An Amatae consciam irasci? Etenim ad tale quiddam impelli poterat poeta si e quibusdam Latinorum fabulis consilium cepisset, ubi multo asperiorem et acriorem personam Lavinia gerebat atque nonnihil habebat virile[2]. Et sane nihil vetat quin

1. Quanquam nonnullis criticis Laviniae Vergilianae inertia minime placet. Vide, inter ceteros, Voltaire (*Stances sur les poètes épiques*, 1731) : < *Virgile* >

... s'épuise avec Didon
Et rate à la fin Lavinie.

Cf. *Candide*, *ch.* xxv, et *Essai sur la Poésie épique* (infra citatum).

La Harpe, *Cours de Littér.*, *l.* I, *ch.* iv, *sect.* 2 : « *Une Lavinie dont il est à peine question, personnage* nul et muet, *quoique ce soit pour elle que l'on combatte.* »

Pierron, *La Clef de Virgile*, t. II, p. 9 : « *Qu'elle est pâle, qu'elle est faible et peu vivante, cette Lavinie destinée par les dieux à devenir l'épouse d'Enée! Peut-être dira-t-on que le poète a voulu assortir l'insignifiance de l'une à la froideur de l'autre.....* »

2. Illud mihi videtur conjici posse : 1° ex Aurelii Victoris narratione (ed. Barbou, 1733, p. 24-25) quam quidem ipse e Caio Caesare, Sexto Gellio aliisque haustam declarat. Post Aeneae mortem Lavinia in silvas gravida confugere (cf. *Aen.* VI, 764 sqq.) non dubitat, Ascanium timens, ibique latet. Magnopere vero a populo dilecta desiderabatur, et « vulgus Latinum, existimans clam ab Ascanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, usque eo ut armis quoque ei vim denuntiaret. » Petiit ille dilationem ut patris uxorem investigaret, inventamque « dilexit honore materno, quae res rursum ei magnum favorem conciliavit. » — 2° Dissimilia narrat Livius (I, iii), sed quae testentur

nobis ipsi fingamus Latinorum regis filiam Camillae instar militantem, ita ut et Trojani futurae reginae suae, et Aeneas sponsae, fortitudinem stupeant... Nonne vero si tres haud dissimilis indolis feminae — (Amata scilicet, Camilla Laviniaque) — in uno et eodem poemate simul exstitissent, periculum futurum fuit ne nimis multae viderentur strenuae istae et quasi masculae heroides?

Deinde Laviniam in hunc modum descriptam, vivido et pertinaci in Teucros eorumque regem, futurum scilicet conjugem, odio flagrare sine dubio non licuisset... Tunc vero sic mitigata, quid aliud legentibus praebuisset, quam attenuatam Camillae imitationem, vel quasi duplicem redintegratae Amatae imaginem, additicium scilicet poemati supervacaneumque impedimentum?

Aut si vehementius eam in Trojanos odium exercere passus esset poeta, tamen fuisset necesse odium illud ejus, sub finem poematis, subita quasi conversione, volentibus Diis et postulante historia, placari... Tunc igitur amplificata illa et quasi superfluenti Lavinia, completum et obstructum poema, in postremis libris, fuisset, — Aenea scilicet, et Turno, reliquisque viris ad quandam inertiam et obscuritatem redactis, ita ut in extrema Aeneidis parte Laviniae potius quam Aeneae narratum fuisset epos.

At enim non saltem potuit regia virgo minus frigere? Numquid, mutatis mutandis, Didoneae flammae referre potuit?

« heroidem » quandam, gallico verbi sensu, fuisse Laviniam. Livius enim ita : « Nondum maturus imperio Ascanius Aeneae filius erat ; tamen id imperium ei ad puberem aetatem incolume mansit; tantisper tutela muliebri — *tanta indoles in Lavinia erat!* — res Latina et regnum avitum paternumque puero *stetit.* » — 3° Adde huc Ovidianam, quam supra memoravimus fabulam (p. 101, n° 4) (quam quidem utrum excogitaverit Ovidius, an ab antiquis receperit, non satisliquere fateor). Lavinia in ea nobis ostenditur, uxor aspera et gravis, adeoque ad suspicionem prona, ut maleficiis et maledictis violentoque odio Annam hospitamet supplicem ad fugam compellat. Putare igitur licet Laviniam in quibusdam Latinorum fabulis depictam fuisse, non sicut timidam imbellemque virginem, sed tanquam mulierem consilii vigorisque plenam, qualem saepius postea Romani fortes ac viriles puellas commenti sunt. (Cf. Boissier, *La Relig. rom.*, t. II, p. 213, de romanarum virginum educatione et ingenio.)

Nemo autem, spero, putabit inedia quadam ingenii aut animi siccitate Vergilium illud vitasse. Concedatur, quaeso, nobis, illum non minus bene quam gallici isti, a quibus carpitur, poetae, Laviniam suam confingere potuisse, ita ut unam et ipse istarum puellarum conderet quas etiam praestantissimi inter nostros Scaenicos saepius justo fecerunt teneros suos amores vel in scaena suspirare... Illud demum requirere decet utrum tunc a se ipsa amari profiteri Lavinia debuit, Aeneam an Turnum?

Quod si Turnum a se diligi verbis et re aperte pronuntiavisset, raptori, ut ita dicam, persimilis Aeneas visus fuisset : unde igitur alia lectori offerretur causa, cur majore invidia trojanum heroem, majore contra benevolentia Turnum prosequeretur...

Aeneam contra Lavinia sibi magis placere significante, nescio an subridiculus fuisset pius heros, qui quidem frigido quo est, — et esse oportet ac decet, — animo, a tribus uno in poemate mulieribus, quietus et imperturbatus ipse, amatus fuisset?

Eundem vero tanquam liberatorem oppressae sive a Turno raptore, sive a duris parentibus, Laviniae induci, illud quidem Voltairio [1] et decimi septimi vel decimi octavi saeculi Gallis placuisse intellegimus : longissime vero abhorruisse vel ab antiquorum studiis, amatoriis rebus multo minus quam recentes in poematibus inservientium, vel a Vergilianae Aeneidis religioso ac vere romano consilio perspicuum est.

Ergo nihil melius agere potuit Lavinia quam nihil agere, nullaque, ut opinor, excogitari possent verba quae magis eam decerent quam silentium [2].

1. Voltaire, *Essai sur la poésie épique*, 1733 : « *Il fallait peut-être qu'Énée eût à délivrer Lavinie d'un ennemi, plutôt qu'à combattre un jeune et aimable amant qui avait tant de droits sur elle... Il a trop l'air du ravisseur de Lavinie, j'aimerais qu'il en fût le vengeur... Une telle disposition eût été une source de beautés nouvelles ; le père et la mère de Lavinie, cette jeune princesse même, eussent eu des personnages plus convenables à jouer.* »

2. Suam esse posse vel inertibus personis leporem, vel tacitis eloquentiam, argute demonstrat. C. Martha, op. cit., p. 108-109.

Illud autem sibi proposuisse Vergilius mihi videtur, ut in Lavinia puellarum, quales in prisco aevo fuisse traderentur, mores repraesentaret.

Quam enim fuerit apud antiquos — (non aequales dico Vergilii, sed priscos priscorum temporum homines) — humilis obscuraque virginis vita, satis notum. Quippe quae postposita fratribus [1], a parentibus neglecta, nullo loco numeraretur; pro nihilo voluntas ac studia ejus duci solebant, vel potius ignorabantur, nec ulla cuiquam cura vilis, ut ita dicam, animae, fuit [2].

Talem nimirum esse condicionem Laviniae Vergilius [3] sibi finxit, nobis ostendit.

Quo enim loco illa ante oculos nostros primum statuitur, sacrificanti patri « in medio honore Deum » sacra quasi ancilla adstat [4]. Deinde eam a debacchante matre correptam et abreptam [5] inertis infantulae instar videmus. Postea quoque, quando cum Latinis matronis ad templa sollemni pompa procedit, pedisequa matrem Lavinia comitatur [6]. Semper igitur et ubique suis, vel desipientibus, aut famulatur, aut obedit [7]. Nec unquam nec

1. Fratrem habuisse Laviniam Vergilius memorat unum, — duos tradunt antiquae, a Servio traditae, fabulae. Vid. *Aen.* XII, 50-51. et Anon. apud Servium, i. h. l.

2. Cf. Gide, *Condition de la femme dans le droit ancien*, p. 75 : « *On enseignait* (*à la jeune fille*) *dès son enfance « à ne parler, n'entendre et ne voir que le moins possible.* » « ὅπως ὡς ἐλάχιστα μὲν ὄψοιτο, ἐλάχιστα δ'ἀκούσοιτο, ἐλάχιστα δ'ἔροιτο. Xén. »

3. Tametsi versum septimi libri <52> : « Sola domum et tantas servabat filia sedes » minus recte Heyne interpretatur, quasi de umbratili Laviniae vita tantummodo in hoc versu agatur, tamen haud immerito conjici potest Vergilianam Laviniam κατάκλειστον quam plurimum fuisse. Bene Conington i. h. v. : « Servabat domum, *remained in the house, as in* VI, 402 :

Casta licet patrui servet Proserpina limen.

with a further notion of preserving the family. » Posteriorem tamen sensum praecipuum esse puto, cui superadditur illud, sicut *a further notion,* Laviniam esse *domisedam.* Cf. supra, p. 110, n. 2.

4. *Aen.* VII, 71 sqq. : « *Lavinie sert son père à l'autel comme la vestale sert le pontife.* » Boissier, *Nouv. Promen. archéol.*, p. 358.

5. *Aen.*, VII, 387 sqq.

6. *Aen.* XI, 477-480.

7. Wagner male judicat modestam ac pacatam Laviniae indolem male servari in *Aen.* VII, 389-391. Negat J. Henry (*Aeneidea,* t. III, p. 551-552) neque immerito; nam ibi rapitur a matre Lavinia, neque eam proprio motu agentem hic facit Vergilius.

usquam sponte sua agit, neque libere loquitur; nihil eam ex arbitratu suo aut facere, aut dicere, aut etiam cogitare poeta permisit, sed stare voluit mutam et immobilem, « decorosque oculos dejectam [1]. »

Quo quidem ab homerica Nausicaa plurimum Lavinia differt. Quanquam enim graeca non multo magis quam latina revera libera est puella suive potestatem habet [2], verum dominio tum matris (quam tantopere reveretur [3]), cum patris (qui ultro eam Ulyssi, minime postulato virginis adsensu, offert), tamen Homerus nobis secretas ejus cogitationes explicuit, interioraque, ut ita dicam, puellaris animi aperuit. Suas esse virgini cupiditates, sua consilia videmus, suum etiam in famulas imperium [4]. Proprio aliquantulum motu agit, libertatisque specie quadam fruitur. Prae se fert igitur Alcinoi filia soluti laetique nonnihil quod forsitan vel in priscis illis temporibus, quorum homerica poemata monumenta nobis exstant, apud Hellenas facilius quam apud Latinos cum patria potestate conjungi potuisse credibile est [5].

Insuper his recordandum quoque nobis est, Nausicaam non iisdem in difficultatibus et curis versari quibus Lavinia. Feliciter enim illa vivit inter parentes fratresque, placiturum exspectans conjugem. Laviniae vero impendet, et, ut ita dicam, incumbit minax illud oraculum quo nubere illam alii quam advenae vetitum est [6], ita ut minus etiam libera sit quam temporum illorum puellae; quippe quae ne parentes quidem penes sit, sed ab invidioso numine quasi vindicetur [7], devotum, ut ita dicam,

1. *Aen.*, XI, 480.
2. *Odyss.* VII, 311 sqq. — Cf. VI, 283-284 et VIII, 457 sqq. — Cf. *Aen.* VII, 267 : sponte sua, nec quicquam moratus, Ilioneo Latinus filiam offert, Aeneae habendam.
3. *Odyss.* VI, 303-312; VII, 53, 67 sqq.
4. *Odyss.* VI, 25-109; 138-140; 186-213; 237-315.
5. Cf. in Sophoclis *Trachiniis* (v. 144 sqq.) lepidissimam virginis in domo parentium abditae et felicissime ibi degentis descriptionem.
6. *Aen.* VII, 54; XI, 27 sqq.
7. Sic et in *Trachiniis* Dejanira (v. 3 sqq.) cujus meminisse, sed in summum tantummodo potuit Vergilius; nam in verbis nihil inter illum et Sophoclem simile:

'Εγὼ δὲ τὸν ἐμὸν <βίον>...
ἔξοιδ'ἔχουσα δυστυχῆ τε καὶ βαρὺν,

fatis caput. Nec forsitan sine causa nihil de Laviniae corpore aut vultu Vergilius meminit ubi primum eam oculis nostris subjicit. Tunc enim « regalem » tantummodo capillorum ejus comptum elatumque quasi aedificium poeta monstrat, coronamque « gemmis insignem », ita ut minus hic de venusta et vivaci puella cogitemus quam de aulica quadam gravique persona [1]. Atque itidem inde fit ut, quanquam venustae, virgini nullam adspergere lasciviam aut hilaritatem idoneum censuerit poeta. Pulchra sane puella latina est [2], sicut et graeca; flavi [3] crines, color albus, roseae genae; nihil lepido vultui deest, nisi lepidius illud Nausicaae homericae γέλασμα.

Semel tantummodo consueta Laviniae tristitia [4] aliquantulum remittitur, quasi nonnihil laetitiae ex imo pectore ad genas obrepat (neque tamen in hac ipsa occasione subridet [5]). Postquam enim Amata, Turnum precibus aggressa ne cum Aenea manus conserat, tandem professa est suam e Turni vita salutem pendere, seque ante morituram esse declaravit quam Aeneam generum videat, tum Lavinia « flagrantes genas perfunditur » atque

plurimus ignem
subjecit rubor et calefacta per ora cucurrit.

ἥτις πατρὸς μὲν ἐν δόμοισιν Οἰνέως
ναίουσ' ἔτ'ἐν Πλευρῶνι νυμφείων ὄτλον
ἄλγιστον ἔσχον, εἴ τις Αἰτωλὶς γυνή...
Τοιόνδ'ἐγὼ μνηστῆρα προςδεδεγμένη
δύστηνος ἀεὶ κατθανεῖν ἐπηυχόμην...
'Εγὼ γαρ ἥμην ἐκπεπληγμένη φόβῳ
μή μοι τὸ κάλλος ἄλγος ἐξεύροι ποτέ.

Cf. v. 523 :

'Α δ' εὐῶπις ἁβρα
τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ
ἧστο, τὸν ὃν προσμένουσ' ἀκοίταν.

1. *Aen.* VII, 75-76, et i. h. l. Conington.
2. *Aen.* XII, 67-70; 605-606. — Cf. VII, 53-55.
3. Wagner, Benoist : flavos, quod omnes codices. — Probus, Ribbeck, Ladewig, Conington, Forbiger : floros. (Cf. Servius, et Anon. apud Servium, in h. l.). *Floros*, i. e. pulchros, florulentos (Servius). — Sed huic verbo idem inesse potest sensus ac *flavos*. *Florus* enim *florulentus, floreus*, idem saepius significasse videtur ac *nitidus*; nitent autem *flavi* crines.
4. *Aen.* XI, 480; VII, 80; XII, 605 sqq.
5. *Aen.* XII, 64 sqq.

Quare autem erubescat[1], quaestio esse potest. An quia pudet virginem se solam victori cuilibet, velit nolit, praedam destinari? An quia, praesente sponso, nuptiarum suarum mentio facta est[2]? Vel tandem quod — sicuti vult Servius, — denuntiatam a matre sui ipsius necem pie dolet, seque « causam mali tanti » acerbe reputat[3]?... Turnus vero arbitratur sic a Lavinia declarari suam erga ipsum voluntatem[4]; neque nos infitias ire possumus quin vera ejus conjectura sit, cum eum inter Laviniae procos omnes non solum fortissimum esse, sed et « pulcherrimum[5] » Vergilius ipse moneat, dignumque profecto efficiat, qui regiae placeat virgini. — Neque etiam prohibent collata cum isto Aeneidis loco poetarum aliorum similia in similibus occasionibus verba[6], quominus Turno adsentientes, talem apud antiquos subfuisse credamus virgineo « rubori » sensum, qualem ille laetus existimat[7].

Ergo, Vergilio volente, Lavinia Turnum, non Aeneam amat, cui tamen in posterum reservatur uxor, et sic Deos scit decrevisse. Atque illud notatu dignissimum censeo, in quo a poematis totius proposito iterum deflexisse, laudatique herois utilitatis denuo oblitum fuisse Vergilium mihi videtur.

Non profecto quod in illud vitium ibi inciderit, in quod incidissent ejus vituperatores, ut animadversum est supra[8]; neque enim Laviniam tanto Turni amore deflagrare fecit, ut Aeneam illa rursus oderit, Aeneasque ergo

1. Heyne : « Praeclare τὸ ἦθος in virgine servatum. Erubescit illa; animi sensa non eloquitur. »
2. Sic judicat Heyne : « Nam de amore Laviniae, in utrum illa animo inclinaret, nihil usquam poeta meminit. »
3. Ita Servius.
4. *Aen.* XII, 70.
5. *Aen.* VII, 55 sqq. :

> Petit ante alios *pulcherrimus* omnes
> Turnus, *avis atavisque potens*, etc.

6. Cf. Apollonium in *Argonauticis*, I, 70; III, 724-725, 963, ubi rubor itidem Hypsipylae primum, deinde Medeae, amorem utriusque erga Jasonem denuntiat.
7. Illud nimium justo amplificat anonymus poeta (*Anthol. lat.*, Riese, t. I, p. 167 (nº 244) : « Te... (Turne) *lacrimans* Lavinia virgo *requirit*. »
8. P. 144-146.

invisus invitae puellae raptor lectori reputetur. Ea contra industria Vergilius verba sua et elegit et disposuit et quasi temperavit ut Lavinia in Aeneam ne minimam quidem odii speciem prae se ferret, suamque erga Turnum benevolentiam[1] maxime circumspecta, tectaque, vel etiam, ut vidimus, paulum ambigua confessione leviter tantummodo detegat, et subindicet potius quam vere fateatur. Dat igitur nobis poeta ansam ad conjiciendum, illam Latini filiae in Rutulorum regem benevolentiam nonnisi levem esse tenuemque et vix inchoatum junioris animi suique ipsius inscii adfectum, qui quidem radicibus non altius actis brevi dilapsurus sit, postquam Lavinia victoris herois, illustrique et paene divina gloria circumfusi, regisque e « praedone » et exsule facti, honestissimo conjugio laetabitur.

Attamen Aeneae quidem utilitatem et omnium poematis partium quasi concordiam et conspirationem respicienti videri potest, concedo, melius futurum fuisse si nullum omnino secretorum Laviniae sensuum traditum nobis fuisset indicium, disceptataque bello puella neutri se potius favere significasset, neutrum auteposuisset alteri, cumque serena quadam sui ipsius neglegentia venturos exspectasset eventus. Etenim in hac poematis ad finem vergentis parte, summa, ut opinor, diligentia vitanda fuere quaecumque vel tantulum invidiae Aeneae pararent[2].

Cur autem illud de Lavinia, quod Aeneae aliquantum nocere posset, dixisse Vergilium arbitremur? An consulto eum fecisse credamus, quo magis pateret in solo numine Deorum fata herois Romanorum conditoris et proavi fuisse posita, non in humanis adfectibus, ita ut nihil referret utrum volens an nolens destinatum sibi a Superis

1. Bene Voltaire : « <*Lavinie*> *n'a point de* répugnance *pour Turnus.* » (*Essai sur la poésie épique*, 1733.)
2. In sex postremis Aeneidis libris in Aeneam minus quam in ejus hostes legentium favorem vergere, saepius est animadversum. Cf. e. g. Voltaire, *Essai sur la Poésie épique* (1733).

maritum acciperet Lavinia[1]? Ego potius suspicor illum hic indulsisse solitae suae in effingenda imagine uniuscujusque adhibitarum personarum industriae, vel etiam interdum cum quodam herois sui detrimento. Hoc est enim mire congruum indoli ac condicioni Laviniae, quales utramque antea subjecit oculis nostris poeta, quod a Turno potius, etsi cladi mortique reservatus sit, non alienos habeat animos, neque rursus nubere cupiat ei cui de fati necessitate nuptura sit.

Etenim quando Amatae filia post exstinctum Turnum et devictos Latinos, marito, non sane inviso, verum saltem imposito neque prius dilecto « habenda « cedet[2] »; quandoque tristi, ut opinor, habitu oculosque « dejecta decoros » necessarium ad hymenaeum, absque ira (irasci non audeat), sed sine studio aut gaudio ibit, — tunc etiam, tunc maxime sibi ipsi Vergiliana Lavinia constabit, servabitque partes eas quas semper illam sustinere nobis ostendit poeta, partes dico « *victimae* » cujusdam. — Absit hujus verbi insolenti apud Latinos sensui invidia[3]: quo quidem ego melius exprimere nequeam et animi et corporis regiae virginis vultum, qualem Vergilio auctore concipio[4].

1. Cf. *Aen.* II, 783-784 : illic..... regia conjux *Parta* tibi.
2. Cf. *Aen.* III, 329; XII, 17: *cedat* Lavinia conjux. Cf. III, 297, 329, 332.
3. Cf. tamen viciniores significationes apud Freund.
4. Cf. J. Henry, *Aeneidea*, t. II, p. 634: « *Our author has been discreet enough to represent her as a mere cypher, a piece of furniture destined for the camp of which ever of the rival chiefs fortune favoured in the fight, and hardly regarded by either even with so much interest as might be expected to attach to the medium of conveyance of the crown of Latium. To have treated Lavinia otherwise, to have represented her as having a will of her own and taking even a small part in the choice of the man who was to be her lawful husband and the father of his children, would have argued our author's acquaintance with other types than those furnished him by Homer and the greek tragoedians,* etc. » Probe dictum, praeter quod Vergilium tam religiose sive Homero, sive graecis tragicis haesisse, non existimo; deque Nausicaa supra hoc demonstravi. Quod autem attinet ad tragicos poetas, Dejaniram solam video cujus recordari utile Vergilio esse potuerit. Sed e Sophocleis, quos supra rettuli, versibus comperitur quantulum inde acceperit, si quid acceperit.

CONCLUSIO

Quae igitur ex hac investigatione jure sequi mihi videntur, illa sunt :

I

Primo *de Andromacha et de Didone*, falsum est in istis personis informandis Vergilium a prioribus poetis plurimum adjutum fuisse. Iniquum est illud multorum rei litterariae criticorum silentium, qui vergilianam Andromacham parvi facere videntur, quasi homericam et euripideam latinus poeta in unam personam conflare satis habuerit. Iniquior etiam illa de Didone plerorumque philologorum opinio, — in animos tamen studiosorum deducta et infixa per istam perpetuam « Vergilii fontium » commemorationem qua recentiores praesertim editiones redundant : — nempe Didonem e direptis Euripideae et Apollonianae Medeae, aut Catullianae Ariadnae membris veluti consutam cum majore industria quam ingenio fuisse.

Nobis contra singulas Vergilianae descriptionis de his mulieribus partes, quin etiam particulas, diligenter excutientibus apparuit nonnulla profecto Vergilium ex antecessoribus desumpsisse, sed ita ut multa repudiaret ex iis, multa rursus, — et illa quidem magni pretii, — adderet.

Multa, inquam, repudiat. Inutilia scilicet primum, quae properanti narrationi moraturum onus imponerent, nec quicquam ad « ethos » aut « pathos » conferrent, et ad frivolam demum legentium oblectationem pertinerent. Sed et illa quoque respuere Vergilius aequum censet, quae personae cujusque ingenium, quale sibi ipse fingit, dedecere arbitretur. Sic ea plerumque rejicit quae politis istis moribus male convenirent, quos in polita aetate anteponere mitis et ipse animi excultique ingenii poeta debuit. Personas igitur muliebres quarum Vergilio nomen

vel etiam indolem priores poetae aut historici tradiderant, longe tamen abest ut ille integras acceperit, crudas reddiderit. Et si aliis quidem in partibus poematis sui, — exempli gratia in rerum mutarum descriptione aut rerum gestarum explicatione[1], — eruditae et proprie historicae diligentiae testimonium eum dedisse fateor, cum contra de personis effingendis agitur, nego suppeditata sibi eum indistincte, quia antiqua, adsumpsisse et cum serva quadam obedientia retinuisse.

Addit item plurima receptis. Et in Didone fusius quam brevius ostendere volui quanto minutiore cum sedulitate descripta, quanto pluribus coloribus ornata sit a Vergilio amantis et deceptae feminae cujusdam indoles quam a graecis poetis illis, quorum succo nutritus noster dictitatur. Quippe qui adfectus personae inductae, non modo in summa et e longinquo delineet, sed propius et per intima subtili quodam et tenui penicillo adumbret, nec modo eos in istis momentis arripiat, ut ita dicam, et facile exprimat, ubi maximo fervore exaestuent, et quasi violente emergentes, a quovis vel imperito deprehendantur; — sed etiam profundos eorum radices tacitumque processum, pusillasque varietates, subobscurasque mutationes persequatur.

Quod autem additamenta ista Vergilius non ex aliis

1. Quanquam vel in his optimi judices censuerunt magnam interdum esse Vergilii libertatem : de quo v. Kindermann, op. cit., « Si Aeneidos fabulas cum iis quae ab antiquioribus traduntur comparamus, facile patet Vergilium summo studio antiquas fabulas repetivisse, sed easdem magna cum licentia mutasse. Inquirentes enim in varios modos quibus nobis res actae a Latino, Turno Aeneaque tradita sunt, reperimus Vergilium nullum antiquiorum scriptorum secutum esse, sed fere novam narrationem composuisse, etc. » Cf. p. 64 : « Nemo profecto iis quae scripserunt Sainte-Beuve, *Etude s. Virgile,* p. 108 : *Denys d'Halicarnasse ne parle guère là-dessus autrement que Virgile...* et Schwegler, *Röm. Gesch.*, I, 289 : *Virgil folgt in allgemeinen der hergebrachten Ueberlieferung ; nur an wenigen Punkten, wo das Gedicht er forderte, geht er von ihr ab* ... consentiet. Vergilius nominibus notis usus est, sed facta hominum fortunasque tanta neglegentia tractavit ut ex his nullus fere agnoscat, etc. » Id., ibid., p. 5 : Etiamsi probare possumus unde poeta multa nomina multasque fabulas petiverat, minime inde sequitur nullum nomen nullamque fabulam ejus fingendi facultati suam originem debuisse. » Cf. p. 45-46.

fabulis vel poematibus, quae usque ad nos singulari quadam fati invidia non pervenerint, haurire potuerit hoc verisimilem in modum, etsi per conjecturam, demonstravi. Ergo haec omnia e se ipso exprompsisse credendus est.

II

Secundo *de Amata, Camilla, Anna, Creusa, Laviniaque,* quas effingenti Vergilio nulla ferme fuisse auxilia constat — (et quam jure constet, iterum demonstrandum esse censui), — his mulieribus ea omnia suppetunt, quanquam non diu istae in scaena remanent, quae personas a poetis creatas habere oportet et semper oportebit, ut verae esse et quodammodo vivere videantur.

Nam primum de illarum unaquaque satis multa a Vergilio docemur, etsi primo adspectu jejunius descripta videri potest feminarum, de quibus nunc dicimus, indoles. Sed illud considerandum est quod Vergilius non historicorum more in unum quasi acervum contrahit quaecumque hujus aut illius personae indolem illustrare possunt, neque ea semel, Thucydidem vel Livium imitatus, exponit; verum sive exspectat, scaenicorum potius poetarum rationem in eo secutus, donec sibi narrationis ipsius tenore praebeatur occasio personam quandam ita agentem et loquentem faciendi, ut talis esse lectori gestis suis ipsis appareat qualem sibi scriptor ipse finxit; — sive inter narrationem ipsam hic illic observationem quandam injicit aut brevem descriptiunculam, vel etiam tantummodo idoneum epithetum, quibus legentibus paulatim et, ut ita dicam, clanculo infigantur propriae singularum personarum indolis lineamenta. Sparsa igitur disjectaque sunt per Aeneidem, interdumque alia ab aliis longius remota ista quasi membra personarum in scaenam inductarum; quae tamen si recollecta connexueris, — sicuti mihimet ego proposui, — perspicuum est, ni fallor, qua Vergilius cura, qua copia mulieres suas informaverit.

Istud quoque meminisse decet de iisdem eatenus disserere Vergilium, quatenus ad commune totius poematis consilium necesse est. Novit enim hic arcanum illud pulcherrimae poeseos oblectamentum, scilicet ne cognoscendi voluptas legentibus tam plena perfectaque suppeditetur quam ex historia; ita ut nostra sciendi libido non tam saturetur quam acuatur, legentiumque ingenii ubertas, si qua est, lacessita eliciatur. Tacet igitur Aeneidis conditor multa de mulierum suarum vel ingenio, vel corporea specie, vel condicione, vel anteacta vita, ac nisi quando metuit, sicuti de Camilla supra notavi, ne non satis intellecta nobis fiat personae cujusdam indoles, nonnulla nobis Vergilius amat relinquere supplenda.

Nego deinde muliebres Aeneidis personas, non satis sui compotes et conscias videri. Quod quidem justa argumentatione comprobare absurdum sit, cum in talibus meminisse deceat aliter alios una atque eadem re jure posse affici; — quam quidem alienorum studiorum et judiciorum, vel etiam a nostris plane discrepantium, patientiam, immo reverentiam, aequales nostri satis superque edocentur. — Attamen scire libeat quae potissimum inter feminas, quarum Vergilius unicus pater est, tanquam « falsae » ac nimis perspicuo « fictae » carpantur?....

... Cum enim Aeneam Creusa orat ne ab illo cum suis derelinquatur, his verbis :

> Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum!
> Hanc primum tutare domum! Cui parvus Iulus,
> cui pater et conjunx quondam tua dicta relinquor?

quid, quaeso, in his absonum neque ex imo corde exiisse tibi videtur?

Cum itidem Volsca

> medias inter caedes exsultat Amazon,

quid in rebus ab illa tunc gestis coactum et fucatum, neque indoli ejus et praesenti condicioni conveniens?

Nonne bellico labori totis viribus intenta, toto animo vere defixa incumbit?

Cum Amata Aeneae irascitur, optato genero timet, Laviniaeque suique miseram sortem deflet, nonne ejus et verba et acta veritatem plane spirant?

Non equidem video usquam ita agere vergilianarum mulierum ullam ut merito derideatur tanquam

> nervis alienis mobile lignum;

nusquam ullam ita loqui ut Vergilii a tergo ejus male latentis vocem et verba agnoscamus.

Quemadmodum vero aptissime ad tempus praesentique fortunae congruenter et agunt illae et loquuntur, ita humanae naturae, qualis in aeternum perstat, consentaneas se praestant.

Camillam quidem excipias, cujus mores, utpote fabulosi sint, experiri nequimus an accommodati sint ad naturam; nonne Amatae indoles, — sublato isto miraculo quo quidem absente non minus facile intellegi furor illius possit, — ea est quam quis cotidie inter suos reperire queat? Nonne mater quaelibet, cujus filiam unicam ignoto advenae incautissimus maritus promiserit, pari dolore, quo Latinorum regina, succensebit? Et nisi proprio sensu, nonne figurate illa « debacchari » merito dicetur?

Anna quoque cum Didoni suadet ut suo in Aeneam amori succumbat, — tametsi nescit utrum justae nuptiae inde futurae sint necne, — num alia sentit et loquitur, — et tacet, — atque sorores illae aut amicae labantem jam mulierem consiliis suis labefactantes, amori « placito » obsistere nefas, naturam sequi justum esse praedicantes?

Et ipsi Laviniae, credo, semper et ubique occurrere licet. Saltem enim in fictis nostrorum temporum narrationibus aut in comoediis quot inducuntur puellulae, amatoria aegritudine laborantes, neque optato viro nupturae, quae languenti morbo marcescere se non invitae

patiuntur maestaeque ac mutae incedunt! Nec tantum Molieri nostri Lucinda a vergiliana Lavinia abest...

Sed satis de his, ne videar invitus poeticas personas subridiculis scarronianisque commentationibus illudere, cum nihil aliud ostendere mihi sit mens, nisi plerumque has persimiles esse iis quibuscum domestico et cotidiano commercio conversamur[1].

Denique quartum illud personis a Vergilio confictis suppetit, — siquidem eas non jam singulas consideraveris, sed alias cum aliis contuleris : — scilicet cum plures ejusdem sexus et condicionis in eodem poemate una versentur, proprium tamen cuique ingenii vultum et colorem esse. Neque contendere ausim idem aeque dici posse de iis quas recentioris aevi poetae, sive italicus Tassus, sive etiam Cornelius noster creavere, personis.

Virgines autem sunt Lavinia et Anna (ne Camillae meminerim) : quantulum vero cognatae! Uxores item ambae Creusa et Amata : quantum haec ab illa distat! Inter Laviniam tantummodo et Creusam nonnihil commune perspici posse supra notavi. Quid vero si, insuper his, Andromachae nunc etiam et Didonis memores, emetiamur quantum a Creusa Amataque et Didone Andromacha differat, — quantum denique ab his omnibus Dido? Quaenam enim illarum eadem atque punica regina sentit? Cuinam non mirum, portentosum, immo nefas videretur esse amor ille Didonis, ea qua est vehementia? Quaenam intellegere eam posset et mente assequi? Quippe cujus et acta et dicta mulieri antiquorum temporum minime conveniant, sed mores et adfectus et cogitationes multo recentioris aetatis fere semper et ubique redoleant.

Omnes igitur quas Vergilius effinxit mulieres ita insignita et peculiari conformatione excogitatae fuerunt, ut

1. Vergilium ex aequalium suorum similitudine personas suas effinxisse nonnulli contendere, nullis tamen argumentis illud fulcientes. V. Holdsworth, op. cit., p. 292-293; Wyttenbach apud Peerlkamp, in Aen., IV, 193; Dunlop, *History of roman Literature during the augustan age*, Ld., 1828, vol. III, p. 147-153.

unaquaeque illarum distincte et seorsim a ceteris intelligentiae nostrae, immo memoriae, imprimatur et adhaereat.

III

Ergo sive eas personas inspexeris, ad quas informandas subsidia Vergilius multa — (non tamen plura quam novimus) — parata invenit, sive eas ubi nullos fere auctores ac magistros, nulla exemplaria habuisse illum constat, — ex utrisque aeque comperiri existimo minime defuisse latino poetae illam propria inveniendi copiam, illam nova fingendi facultatem, illam ingenii ubertatem vimque fecundam quae totiens tamen ei denegari solet[1]. — Quanquam hoc demum de muliebribus Aeneidis personis dictum volo. Tametsi enim idem de viris quoque qui sunt in Aeneide mecum censeam, illorum tamen indolem non satis exacte inquisivi ut idem de illis mihi plane exploratum adfirmem.

1. Attamen in quibusdam recentissimis Germanorum philologorum opusculis paulum immutari sententiam video, cui adversor. Cf. Plüss, op. cit., p. 337, 345, 346.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum in Sorbona, a. d. xvi Kal. Aug. ann. MDCCCLXXXX,

Facultatis Litterarum in Academia parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiae parisiensis Rector,

GRÉARD.

RENNES, ALPH. LE ROY
Imprimeur breveté

RENNES, ALPH. LE ROY, IMPRIMEUR BREVETÉ.